This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Crus
18
41.8

Digitized by Google

Exemplaire de la bibliothèque de M. Thonnelier
n° 3251 du Catalogue.

Bibliothèque
de M. le comte Riant

Crus 18.41.8

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

VE RI TAS

FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT

MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST

MDCCCC

GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Much respected Sir!

I have the honour of returning the two MS. portions of the Nakhl al Colub, which you did lend me with so much kindness and of requesting that you will accept, with the acknowledgment of my sincere gratitude, this last work of mine, which I have annexed to this letter, as a token of my veneration and esteem. Perhaps you will find it not altogether unworthy of your attention; as to the MS. you will excuse me, that as I found no convenient and safe opportunity of returning them, I have exceeded for four months the term of a year which you had fixed to me. You'll receive them now by means of the messengery of the British Embassy, which is certainly the first mode of conveyance, I ever could procure.

Not long since I have perused the third volume of your learned and interesting travels, and have observed with much satisfaction the moderation and civility with which you have expressed your disbelief of Mr. Hylenbroek's, or rather mine, opinion. I am however

at a loss how to account for the doubts of some learned men especially of Mr. de Sacy, on this point. For all the arguments which we have stated are as clear and satisfactory, as the objections which I have hitherto experienced, are easily to be removed. Since the publication of Mr. Hyslabroke's work other additional proofs have confirmed the truth of our opinion. What, for instance, more convincing than the correspondence of your Oriental Geography with the MS. of Gotha adjudged to Ibn Khordad, which I now venture to affirm to be accurate and literally. For having obtained a copy of the description of Egypt, taken from the two MS of Gotha, mentioned in Mr. Hyslabroke's dissertation, it appeared from collation 1st that there was no difference between the Persian and your English work 2d that the Arabick was generally the same with the Persian, but offered some few additions which proved it to be younger. I am therefore very sorry for the sake of Mr. Moeller Bibliothecary of the Duke of Saxen-Gotha, who is now, as I am informed, occupied in translating and publishing that Arabick MS. For no doubt it will appear at the end that he has been at work for nothing and that his labours is little more than a repetition of yours. In the mean while nothing will favor the cause of truth better than the publication and comment of Ibn Haukal himself, with my additional remarks on the subject to which I shall proceed as soon as my various and multiplied occupations will permit. I am so well convinced that you are exclusively actuated by the love of truth and by no means by any prediction for your private opinion, that were you living at Leyden, I should not hesitate

a single moment in requesting for that purpose the perusal of your Mr. Journal of Society, given I sincerely not in consequence of conversation dance with the Journal I am fully convinced.

I am much respected Sir! with the highest esteem and Veneration

Your most obedient humble Servant
Hamilton

Leighton 26 May
1824

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTATIO

AD LOCUM

TAKYODDINI AHMEDIS AL-MAKRIZII,

DE EXPEDITIONIBUS, A GRAECIS FRANCISQUE ADVERSUS DIMYATHAM AB A. C. 708 AD 1221 SUSCEPTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

TAKYODDINI AHMEDIS AL-MAKRIZII,

al Makrīzī.

NARRATIO

DE EXPEDITIONIBUS, A GRAECIS FRANCISQUE ADVERSUS DIMYATHAM, AB A. C. 708 AD 1221 SUSCEPTIS.

E CODICIBUS BIBLIOTHECAE LUGDUNO-BATAVAE EXCERPSIT, LATINE REDDIDIT ET ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

HENRICUS ARENTIUS HAMAKER,

L. L. O. O. IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROF. ORDIN. ET INTERPRES LEGATI WARNERIANI, INSTITUTI REGII BELGICI ET SOCIETATIS ASIATICAE PARISIENSIS SOCIUS.

(Ex Classis tertiae Instituti Regii Belgici Commentariis.)

AMSTELODAMI,

APUD PIEPER ET IPENBUUR,

MDCCCXXIV.

Digitized by Google

Crus 18.41.8

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Ex comparatione Graecorum Latinorumque scriptorum cum Orientalibus magnam lucem oriri ad meliorem Historiae Medii Aevi intelligentiam, aequi et periti harum rerum arbitri ad unum omnes fatentur, illiusque studii utilitatem nosmetipsi ante hos septem annos, habita oratione, plurimisque allatis argumentis, commendavimus, cum Literarum Orientalium in Athenaeo Franequerano professionem solenni ritu susciperemus. Imprimis vero illius comparationis praestantia cernitur in bellorum, inter Christianos Moslemosque gestorum, enarratione. Cum enim illa aetate populorum inter se commercia admodum manca et imperfecta forent, et vera historiae scribendae ratio prorsus ignoraretur, illisque caussis mutua et internecina Moslemorum Christianorumque odia inimicitiaeque accederent, illud profecto contigisse rationi consentaneum est, quod revera factum esse videmus: ut nempe neutri de adversariorum viribus, consiliis, rebus gestis, victoriis et cladibus, satis fide et accurate referrent, nec praeclaris hostium ducibus debitam laudem tribuerent; ut denique de referendis praecipuis saepe rerum momentis propter summam scribendi negligentiam ne cogitare quidem viderentur. Ergo si quis integrum et perfectum historiae corpus conspicere et mente complecti cupiat, illud ex disjectis dispersisque variorum auctorum membris magno cum judicio construendum et componendum est. Quae res magnis saepe difficultatibus et molestiis

Digitized by Google

implicatur. Nam interdum ex obscuris et semiperfectis sententiis omnis eorum, quae ea tempestate acciderunt, notitia colligenda, interdum inductionis auxilio ex rerum gestarum serie narrationis defectus et lacunae supplendae sunt; nonnunquam etiam ex comparatis inter se temporum notis, quas ambarum partium scriptores memoriae prodiderunt, historia ex densissimis tenebris in lucem emergit, falsarumque opinionum commentis felicissime liberatur. At haec omnia magnum otium requirunt et patientiam, nec intra breve tempus rite evolvi et explicari possunt. Quapropter licet maximopere laudandam esse censeamus eorum industriam, qui majorem aliquam partem Historiae Medii Aevi sibi tractandam describendamque sumserunt, uti v. g. in expeditionibus Cruce signatorum fecerunt nuper admodum Michaudius, Hakenius, Millius, caeterisque omnibus facile anteponendus Wilkenius; nihilominus tamen ejusmodi opera magis elegantiorum hominum desideriis, quam doctorum necessitatibus satisfactura esse existimo. Quod si singuli Viri Eruditi non in universa istarum expeditionum serie exponenda, sed in aliqua parte diuturni illius belli sacri, per duo fere secula inter Christianos Moslemosque gesti, accuratius enucleanda, studium suum posuissent, procul dubio opus suscepissent unius hominis, aliarum saepe rerum studio distracti, otio et viribus accommodatius, multasque difficultates, quibus illorum temporum historia premitur, felicius removissent. Neque vero haec, quae diximus, ita accipienda sunt, quasi belli sacri aeterna memoria dignissimi speciem uno conspectu proponendam esse negaremus. Quomodo enim quisquam de rerum ea tempestate gestarum caussis et rationibus rite judicet, aut tanti majestatem spectaculi satis assequatur, nisi earum nexum et seriem cohaerentem et continuam contempletur? At ejusmodi jucundis-

si-

Digitized by Google

sima contemplatione nemo fruetur, nisi qui a singularum partium accuratissima tractatione ad universae illius historiae cognitionem adscenderit. Quae omnia ne temere dixisse videremur, hac usi opportunitate fragmentum Makrizii ex Aegypti descriptione MS. desumtum, quod cum alias Dimyathae obsidiones invasionesque a Christianis tentatas, tum vel maxime sextam expeditionem sacram complectitur, selegimus; ut illud comparationis inter Orientales et Latinos Graecosve scriptores instituendae exemplum, et emolumenti ex eo fonte in Medii Aevi Historiam redundaturi documentum luculentissimum foret. Continet idem iste locus Makrizii expeditionis etiam Aegyptiacae a S. Ludovico susceptae enarrationem amplissimam, quam tamen consulto omisimus, cum in omnibus paene ad verbum conveniret cum Djemaleddino et Ibn Ferato, quorum excerpta T. VII Historiae Belli Sacri edidit Michaudius, nec adeo multis magnique momenti observationibus ansam praeberet. Longe vero aliter comparata erat pars ista narrationis Makrizianae, quam nunc ad publicam notitiam produximus, in qua multa reperiuntur in excerptis a Michaudio editis aut omissa, aut minus recte tradita, multa quae Christianos illius belli scriptores mirifice explicant et illustrant. Quam obscura enim, quam imperfecta, quantisque obsepta difficultatibus sit istorum hominum oratio, nemo facile credat, nisi qui aut ipsos legerit et expenderit, aut nostras notas inspexerit. Nec etiam ex Latinorum illius aevi scriptorum mutua comparatione ejusmodi lacunae suppleri aut difficultates amoveri possunt; quo fit ut hac in re imprimis optatum nobis sit ac necessarium historicorum Arabicorum auxilium. Nam complures quidem auctores exstant Christiani, qui illud bellum descripserint, ut Oliverius Scholasticus, Jacobus de

Digitized by Google

Vitriaco, Willermi Tyrii Continuator, Bernardus Thesaurarius, Matthaeus Parisiensis, Godefridus Monachus, Vincentius Bellovacensis, Marinus Sanutus, et Antonius Bonfinius. Horum tamen is, quem extremo loco nominavimus, nullam omnino fidem meretur, cum gentis suae studio abreptus, Andream Hungariae Regem, qui Dimyatham numquam vidit, expeditioni Aegyptiacae praefuisse affirmet. E reliquis autem, praeter Marinum Sanutum, solus fere hic in censum venire potest oculatus rerum gestarum testis Oliverius Scholasticus, quem plerique omnes, quorum nomina sequuntur, verbotenus exscripserunt, aut nulla aut admodum pauca addentes de suo. Hujus igitur scriptoris, ut fontis rerum ea tempestate gestarum primarii, auctoritatem prae caeteris usurpandam esse putavimus, secundum exemplum editum ab Ekkardo in *Corp. Histor. Medii Aevi* T. II. p. 1398 — 1450, sub *Historiae Damiatinae* titulo. Haec enim sola editio integrum Oliverii librum complectitur, quem principio et fine truncatum exhibet *Epistola Oliverii de captione Damiatae ad Engelbertum*, inserta collectioni Bongarsianae, sive *Gestis Dei per Francos* p. 1185 — 1192. Integriorem Codicem secutus est Th. Galaeus in *Hist. Anglicanae Scriptt.* T. II. p. 435 — 452, qui eandem narrationem non addito auctoris nomine produxit, et *Historiam captionis Damiatae* appellavit. Denique librum Galaeano paullo ampliorem et auctiorem ante oculos habuit Jacobus de Vitriaco, Episcopus Acconensis, Oliverii Scholastici aequalis, et in expeditione Dimyathensi commilito, in cujus Historiae Orientalis Lib. III. (*Gest. Dei* p. 1129 — 1145) scriptionis Oliverianae maxima pars repetita legitur. Illius autem insignis inter varios libelli Codices diversitatis probabilem caussam attulit Ekkardus in praefatione Tomi II *Corporis Historici* paullo ante laudati,

e

Digitized by Google

e cujus comparatione corrigantur et emendentur varii errores Michaudii *Hist. des Croisades* T. VI. p. 125 sq. et 483 sqq. haud satis accurate de Oliverio ejusque scripto disputantis. Quamvis autem Oliverius omnibus hujus belli auctoribus facile antecellat, reliquorum tamen lectio suo fructu non caruit, eorumque nemo fuit, quin ad scriptionem nostram ornandam et augendam aliquid conferret. Haec de Christianis: ex Arabicis autem, praeter excerpta a Michaudio edita, nobis imprimis auxilio fuit Naweirius, cujus ope Makriziana narratio et suppleri nonnumquam potuit et emendari. Ex horum igitur omnium scriptorum inter se compositione hoc saltem nobis assecuti esse videmur, ut, si quis in posterum ad sextam expeditionem sacram non minus accurate, quam eleganter, describendam manus admoverit, idem viam sibi complanatam et difficultates plerasque omnes summotas esse reperiat. Qua in re quid praestiterimus, et quantopere nostra ratio a decessorum nostrorum opinione differat, vel sola tabularum Geographicarum huic scriptioni adjectarum, et ad meliorem commentationis nostrae intelligentiam cummaxime necessariarum inspectio docere poterit et cum tabula Michaudiana (T. III. p. 433.) comparatio. In his autem tabulis, quarum altera magnam inferioris Aegypti partem, altera urbis Dimyathae a Francis A. 1218—1219 obsessae speciem complectitur, delineandis et adornandis nobis operam suam commodavit Vir non minus artis Graphicae quam Graecarum Latinarumque literarum peritus, et a prima inde adolescentia nobis amicissimus Jacobus Geel, Academiae Lugduno-Batavae secundi Ordinis Bibliothecarius, cui pro egregio isto nostrae scriptionis ornamento gratias habeant eruditi. Caeterum in tabulis istis conficiendis imprimis secuti sumus delineationem inferioris Aegypti a Denonio editam, tabulamque lacus Menzaleh

Digitized by Google

zaleh ab Illustr. Andreossio confectam; in textu autem describendo duces nobis fuerunt tres Codices Makriziani Bibliothecae Lugduno-Batavae MS. 276, 371 et 372, e quibus singulis illud selegimus, quod nobis optimum lectu esse et ex sententiae ratione cummaxime postulari videbatur. Quarum variantium lectionum, reliquorumque scribendi errorum, quos negleximus, commemoratione prorsus supervacanea atque inutili, lectores nostros fatigare noluimus, earumque minutiarum illis tantum in locis mentionem aliquam injecimus, ubi de vera lectione haud immerito dubitari poterat.

ذكر

Digitized by Google

ذكر حروب الروم والفرنج علي دمياط من سنة تسعين الي سنة ثماني عشرة وستماية من الهجرة تاليف تقي الدين احمد المقريزي

وما زالت دمياط بيد المسلمين الي ان نزل عليها الروم في سنة تسعين من الهجرة فاسروا خالد بن كيسان وكان علي البحر هناك وسيروه الي ملك الروم فانفذه الي امير المومنين الوليد بن عبد الملك لاجل الهدنة التي كانت بينه وبين الروم فلما كانت خلافة هشام بن عبد الملك نازل الروم دمياط في ثلاث ماية وستين مركبا وقتلوا وسبوا وذلك في سنة احدي وعشرين وماية ولما كانت الفتنة بين الاخوين محمد الامين وعبد الله المامون وكانت الفتن بارض مصر طمع الروم في البلاد ونازلوا دمياط في اعوام بضع ومايتين ثم لما كانت خلافة امير المومنين المتوكل علي الله وامير مصر يومئذ عنبسة بن اسحق نزل الروم دمياط يوم عرفة من سنة ثمان وثلثين ومايتين فملكوها وما فيها وقتلوا جمعا كثيرا من المسلمين وسبوا النساء والاطفال واهل الذمة فنفر اليهم عنبسة بن اسحق يوم النحر في جيشه ونفر كثير من الناس اليهم فلم يدركوهم ومضي الروم الي تنيس فاقاموا باشتومها فلم يتبعهم عنبسة — فامر المتوكل ببناء حصن دمياط فابتدي في بنايه يوم الاثنين لثلاث خلون من شهر رمضان سنة تسع وثلاثين وانشا من حينئذ الاسطول بمصر فلما كان في سنة تسع طرق الروم دمياط في نحو مايتي مركب فاقاموا يعيثون في السواحل شهرا وهم يقتلون وياسرون وكانت للمسلمين معهم معارك ثم لما كانت الفتن بعد موت كافور الاخشيذي طرق الروم دمياط لعشر خلون من رجب سنة سبع وخمسين وثلثماية في بضع وعشرين مركبا فقتلوا ماية وخمسين من المسلمين وفي سنة ثمان واربعماية ظهر بدمياط سمكة عظيمة طولها مايتين

وستين

وستين ذراعا وعوضها ماية ذراع وكانت حجير الملح تدخل من جوفها موسوقة فتفرغ وتخرج ووقفت خمسة رجال في قحفها ومعهم المجاريف يجرفون الشحم ويناولونه الناس واقام اهل تلك النواحي مدة طويلة ياكلون في لحمها وفي ايام الخليفة الفايز بنصر الله عيسي والوزير حينية الصالح طلايع بن رزيك نزل علي دمياط نحو ستين مركبا في جمادي الاخرة سنة خمسين وخمسماية بعث بها لوجين (لوجيز MS. 372) بن رجا صاحب صقلية فعاثوا وقتلوا ونزلوا بتنيس ورشيد والسكندرية فاكثروا فيها الفساد ثم كانت خلافة العاضد لدين الله في وزارة شاور بن مجير السعدي الوزارة الثانية عند ما حضر مري ملك الفرنج الي القاهرة وحصرها وقرر علي اهلها المال واحرقت مدينة الفسطاط فنزل علي تنيس واشموم ومنية عمرو صاحب اسطول الفرنج في عشرين شينا فقتلوا واسروا وسبوا وفي وزارة الملك الناصر صلاح الدين يوسف بن ايوب للعاضد وصل الافرنج الي دمياط في شهر ربيع الاول سنة خمس وستين وخمسماية وهم فيما يزيد علي الف ومايتي مركب فخرجت العساكر من القاهرة وقد بلغت النفقة عليهم زيادة علي خمسماية الف وخمسين الف دينار فاقامت الحرب مدة خمسة وخمسين يوما وكانت نوبة صعبة شديدة واتهم في هذه النوبة عدة من اعيان المصريين بممالاة الفرنج ومكاتبتهم وقبض عليهم الملك الناصر وقتلهم وكان سبب هذه النوبة ان الغز لما قدموا الي مصر من الشام صحبة اسد الدين شيركوه تحرك الفرنج لغزو ديار مصر خشية من تمكن الغز بها فاستمدوا اخوانهم اهل صقلية فامدوهم بالاموال والسلاح وبعثوا اليهم بعدة وافرة فساروا بالدبابات والمجانيق ونزلوا علي دمياط في صفر وهم علي العدة التي ذكرنا من المراكب واحاطوا بها بحرا وبرا وبعث السلطان صلاح الدين بابن اخيه تقي الدين عمر واتبعه بالامير شهاب الدين الخارمي (الحازمي MS. 372) في العساكر الي دمياط وامدهما بالاموال والميرة والسلاح واشتد الامر علي اهل دمياط وهم بايتون علي محاربة الفرنج فسير صلاح الدين الي نور الدين محمود بن زنكي صاحب الشام يستنجده واعلمه بانه لا يمكنه الخروج من

Digitized by Google

من القاهرة الي لقاء الفرنج خوفا من قيام المصريين عليه فجهز اليه العساكر شيا بعد شي وخرج نور الدين من دمشق بنفسه الي بلاد الفرنج التي بالساحل واغار عليها واستباحهم فبلغ ذلك الفرنج وهم علي دمياط فخافوا علي بلادهم من نور الدين ان يتمكن منها فرحلوا عن دمياط في الخامس والعشرين من ربيع الاول بعد ما غرق لهم نحو الثلثماية مركب وقلّت رجالهم بالفناء وقع فيهم واحرقوا ما ثقل عليهم حمله من المنجنيقات وغيرها وكان صلاح الدين يقول ما رايت اكرم من العاضد ارسل اليّ مدة مقام الفرنج علي دمياط الف الف دينار سوي ما ارسله اليّ من الثياب وغيرها وفي سنة سبع وسبعين وخمسماية رتبت المقاتلة علي البرجين وسدت مراكب الي السلسلة ليقاتل عليها ويدافع عن الدخول من بين البرجين ورم شعث سور المدينة وسدت ثلمه وابقيت السلسلة التي بين البرجين فبلغت النفقة علي ذلك الف دينار واعتبر السور فكان قياسه اربعة الاف وستماية وثلاثين ذراعا وفي سنة ثمان وثمانين وخمسماية امر السلطان بقطع اشجار بساتين دمياط وحفر خندقها وعمل جسر عند سلسلة البرج وفي سنة خمس عشرة وستماية كانت واقعة دمياط العظمي وكان سبب هذه الواقعة ان الفرنج في سنة اربع عشرة وستماية تتابعت امدادهم من رومية الكبري مقر البابا ومن غيرها من بلاد الفرنج وساروا الي مدينة عكا فاجتمع بها عدة من ملوك الفرنج وتعاقدوا علي قصد القدس واخذه من ايدي المسلمين فصاروا بعكا في جمع عظيم وبلغ ذلك الملك العادل ابا بكر بن ايوب فخرج من مصر في العساكر الي الرملة فبرز الفرنج من عكا في جموع عظيمة فسار العادل الي بيسان فقصده الفرنج فخافهم لكثرتهم وقلة عسكره فاخذ علي عقبه يريد دمشق وكان اهل بيسان وما حولها قد اطمانوا لنزول السلطان هناك فاقاموا في اماكنهم وما هو الا ان سار السلطان واذا بالفرنج قد وضعوا السيف في الناس ونهبوا البلاد فحازوا من اموال المسلمين ما لا يحصي كثرة واخذوا بيسان وبانياس وساير القري التي

هناك واقاموا ثلاثة ايام ثم عادوا الي مرج عكا بالغنايم والسبي وهلك من المسلمين خلق كثير فاستدام الفرنج بالمرج اياما ثم عادوا ثانيا ونهبوا صيدا والشقيف وعادوا الي مرج عكا فاقاموا به وكان ذلك كله بما بين النصف من شهر رمضان وعيد الفطر والملك العادل مقيم بمرج الصفر وقد سير ابنه المعظم عيسي بعسكر الي نابلس لمنع الفرنج من طروقها والوصول الي بيت المقدس فنازل الفرنج قلعة طور سبعة عشر يوما ثم عادوا الي عكا وعزموا علي قصد الديار المصرية فركبوا بجموعهم البحر وساروا الي دمياط في صفر فنزلوا عليها يوم الثلاثا رابع شهر ربيع الاول سنة خمس عشرة وستماية المواقف لثامن حزيران ولهم نحو السبعين الف فارس واربعماية الف راجل فخيموا تجاه دمياط في البر الغربي وحفروا علي عسكرهم خندقا واقاموا عليه سورا وشرعوا في قتال برج دمياط فانه كان برجا منيعا فيه سلاسل من حديد غلاظ تمد علي النيل لتمنع المراكب الواصلة في البحر المالح من الدخول الي ديار مصر في النيل وذلك ان النيل اذا انتهي الي فسطاط مصر مر عليه في ناحية الشمال الي شطنوف فاذا صار الي شطنوف انقسم قسمين احدهما يمر في الشمال الي رشيد فيصب في البحر المالح والشطر الاخر يمر من شطنوف الي جوجر ثم يتفرق من عند جوجر فرقتين فرقة تمر الي اشموم فتصب في بحيرة تنيس وفرقة تمر من جوجر الي دمياط فتصب الي البحر المالح هناك وتصير هذه الفرقة من النيل واصلة بين مدينة دمياط وبين البر الغربي وهذا البر الغربي من دمياط يعرف بجزيرة دمياط يحيط بها ماء النيل والبحر الملح وفي مدة اقامة الفرنج بهذا البر الغربي عملوا الالات والمرسات واقاموا ابراجا يرجعون بها في المراكب الي برج السلسلة ليملكوه فانهم اذا ملكوه تمكنوا من العبور في النيل الي القاهرة ومصر وكان هذا البرج مشحونا بالمقاتلة فتحيل الفرنج عليه وعملوا برجا من الصواري علي بطسة كبيرة واقلعوا بها حتي اسندوها اليه وقاتلوا من به حتي اخذوه فبلغ نزول الفرنج

Digitized by Google

الفرنج علي دمياط الملك الكامل وكان يخلف اباه الملك العادل علي ديار
مصر وخرج بمن معه من العساكر في ثالث يوم من وقوع الطاير مخبر نزول
الفرنج بخمس خلون منه وامر والي الغربية بجمع العربان وسار في جمع كبير
وخرج الاسطول فاقام تحت دمياط ونزل السلطان بمنزلة العادلية قرب دمياط
وامتدت عساكره الي دمياط لتمنع الفرنج من العبور والقتال مستمر والبرج
ممتنع مدة اربعة اشهر والعادل يسير العساكر من البلاد الشامية شيا بعد شيء
حتي تكاملت عند الملك الكامل والقتال مستمر لا يفتر واهتم الملك العادل
لنزول الفرنج علي دمياط واشتد خوفه فرحل من مرج الصفر الي عالقين فنزل
به المرض ومات في سابع جمادي الاخرة فكتم الملك المعظم عيسي موته
وحمل في محفة وجعل عنده خادما وطبيبا راكبا الي جانب المحفة والشربدار
يصلح الشرب ويحمله الي الخادم فيشربه ويوهم الناس ان السلطان شربه الي ان
دخلوا به الي قلعة دمشق وصارت اليها الخزاين والبيوتات فاعلن بموته وتسلم
ابنه الملك المعظم جميع ما كان معه ودفنه بالقلعة ثم نقله الي مدرسة
العادلية بدمشق وبلغ الملك الكامل موت ابيه وهو بمنزلة العادلية قرب
دمياط فاستقل بمملكة ديار مصر فاشتد الفرنج والحوا في القتال حتي استولي
علي برج السلسلة وقطعوا السلاسل المتصلة به لتجوز مراكبهم في بحر النيل
ويتمكنوا من البلاد فنصب الملك الكامل بدل السلاسل جسرا عظيما لمنع
الفرنج من عبور النيل فقاتلت الفرنج عليه قتالا كثيرا الي ان قطعوه وكان قد
انفق علي البرج والجسر ما ينيف علي سبعين الف دينار وكان الكامل
يركب في كل يوم عدة مرار من العادلية الي دمياط لتدبير الامور واعمال
الحيلة في مكايدة الفرنج فامر الملك الكامل ان يغرق عدة من المراكب في
النيل حتي تمنع الفرنج من سلوك النيل فعمد الفرنج الي خليج هناك
يعرف بالازرق كان النيل يجري فيه قديما فحفروه وعمقوا حفره واجروا فيه
الما الي البحر المالح واصعدوا مراكبهم فيه الي بورة علي ارض جيزة دمياط
مقابل

Digitized by Google

عسكرهم المحيط خندقا وبنوا عليه سورا واهل دمياط يقاتلونهم اشد القتال ويمانعوهم وقد غلت عندهم الاسعار لقلة الاقوات ثم ان المعظم فارق الملك الكامل وسار الي بلاد الشام واقام الكامل لمحاربة الفرنج وانتدب شمايل احد الجاندارية في الركاب للدخول الي دمياط فكان يسبح في الماء ويصل الي اهل دمياط فيعدهم بوصول النجدات فحظي بذلك عند الكامل وتقرب منه حتي عمله والي القاهرة واليه تنسب خزانة شمايل بالقاهرة فلم يزل الحال علي ذلك الي ان دخلت سنة ست عشرة فجهز الملك المنصور محمد بن عمر بن شاهنشاه بن ايوب صاحب حماة ابنه المظفر تقي الدين محمود الي مصر نجدة لخاله الملك الكامل علي الفرنج في جيش كثيف فوصل الي العسكر وتلقاه الملك الكامل وانزله في ميمنة العسكر منزلة ابيه وجده عند السلطان صلاح الدين يوسف فالح الفرنج في القتال وكان بدمياط نحو العشرين الف مقاتل فنهكتهم الامراض وغلت عندهم الاسعار حتي بلغت بيضة الدجاجة عندهم عدة دنانير قال الحافظ عبد العظيم المنذري سمعت الشيخ ابا الحسن علي بن قفل يقول كان لبعض بني خيار بقرة فذبحوها وباعوها في الحصار فجاءت ثمان ماية دينار وقال في المعجم المترجم سمعت الامير ابا بكر بن الحسن بن حشونام يقول كنت بدمياط في حصار العدو بها فابيع السكر بها بماية واربعين دينارا الرطل والدجاجة بثلاثين دينارا واشتريت ثلاث دجاجات بتسعين دينارا والراوية باربعين درهما والقبر يحفر باربعين مثقالا واخذت اختي جملا فشقت جوفه وملاته دجاجا وفاكهة وبقلا وغير ذلك وخاطته ورمته في البحر وكتبت الي تقول قد فعلت كذا فاذا رايتم جملا ميتا فخذوه فوقع لنا ليلا فاخذناه وكان فيه ما يساوي جملة ففرقته علي الناس ثم عملت بعد ذلك ثلاثة جمال علي هيئته فغطن بها الفرنج فاخذوها وامتلات مساكنهم وطرقات البلد من الموتي وعدمت الاقوات وصار السكر كعزة الياقوت وفقدت اللحوم فلم يقدر عليها بوجه وآلت بهم الحال الي ان لم يبق بها سوي قليل من

Digitized by Google

من القمح والشعير فقط فتسور الفرنج السور واخذوا منه البلد في الثلاثا لخمس بقين من شعبان وكانت مدة الحصار ستة عشر شهرا واثنين وعشرين يوما ولما اخذوا البلد وضعوا السيف في الناس فتجاوزوا الحد في القتل واسرفوا في مقدار القتلي وبلغ ذلك السلطان فرحل بعد اخذ دمياط بيومين ونزل قبالة طلخا علي راس بحر اشموم وراس بحر دمياط وخيم في المنزلة التي صار يقال لها المنصورة وحصن الفرنج اسوار دمياط وجعل الجامع كنيسة وبثوا سراياهم في القري فقتلوا ونهبوا وسير السلطان الكتب الي الافاق يستحث الناس علي الحضور لدفع الفرنج عن ملك مصر وشرع العسكر في بناء الدور والخنادق والحمامات والاسواق بمنزلة المنصورة وجهز الفرنج من اسروه من المسلمين في البحر الي عكا وخرجوا من دمياط ونازلوا السلطان تجاه المنصورة وصار بينهم وبينه بحر اشموم وبحر دمياط وكان الفرنج في مايتي الف راجل وعشرة الاف فارس فقدم المسلمون شوانيهم امام المنصورة وعدتها ماية قطعة واجتمع الناس من القاهرة ومصر وساير النواحي من اسوان الي القاهرة ووصل الامير حسام الدين يونس والفقيه تقي الدين ابو الطاهر محمد بن الحسن بن عبد الرحمن المحلي فاخرجا الناس من القاهرة ونودي بالنفير العام وخرج الامير علاء الدين جلدك وجمال الدين بن صيرم لجمع الناس فيما بين القاهرة الي اخر الحوف الشرقي فاجتمع عالم لا يقع عليه حصر وانزل السلطان علي ناحية سارمساخ الفي فارس في الاف من العربان ليحولوا بين الفرنج وبين دمياط وسارت الشواني ومعها حراقة كبيرة علي راس بحر المحلة وعليها الامير بدر الدين بن حسون فانقطعت الميرة عن الفرنج من البر والبحر وسارت عساكر المسلمين من الشرق والشام الي الديار المصرية وكان قد خرج الفرنج من داخل البحر لمدد الفرنج علي دمياط فقدم منهم امم لا تحصي يريدون التوغل في ارض مصر فلما تكاملوا بدمياط خرجوا منها في عددهم وعديدهم ونزلوا تجاه الملك الكامل كما تقدم فقدمت النجدات يقدمها الملك الاشرف موسي بن العادل

وعلي

وعلي ساقتها الملك المعظم عيسي فتلقاهم الملك الكامل وانزلهم عنده بالمنصورة في ثالث عشرين من جمادي الاخرة سنة ثمان عشرة وتتابع مجي الملوك حتي بلغت عدة فرسان المسلمين نحو اربعين الف فارس فحاربوا الفرنج في البر والبحر واخذوا منهم ست شواني وجلاسها وبطسة واسروا من الفرنج الفين ومايتين ثم ظفر المسلمون بثلاث قطايع اخر فتضعضع الفرنج لذلك وضاق بهم المقام فبعثوا يطلبون الصلح فقدم عند مجي رسلهم اهل الاسكندرية في ثمانية الاف مقاتل وكان الذي طلب الفرنج القدس وعسقلان وطبرية وجبلة واللذقية وساير ما فتحه السلطان صلاح الدين يوسف من الساحل ليرحلوا عن ديار مصر فبذل المسلمون لهم ساير ما ذُكر من البلاد خلا مدينة الكرك والشوبك فامتنع الفرنج من الصلح وقالوا لا بد من اخذهم الكرك والشوبك ومبلغ ثلاث ماية الف دينار عوضا عما خربه الملك المعظم عيسي صاحب دمشق من اسوار القدس وكان المعظم لما مات ابوه العادل واستولي الفرنج علي دمياط وتاروا الملك الكامل قبالة المنصورة خاف ان يصل منهم في البحر من ياخذ القدس ويتحصنوا به فامر بتخريب اسواره وكانت اسواره وابراجه في غاية العظمة والمنعة فاتي الهدم علي جميعها ما خلا برج داود وانتقل اكثر الناس من القدس ولم يبق به الا القليل ونقل المعظم ما كان بالقدس من الاسلحة والالات فامتنع المسلمون من اجابة الفرنج الي ذلك وقاتلوهم وعبر جماعة من المسلمين في بحر المحلة الي الارض التي عليها الفرنج وفجروا مكانا عظيما في النيل وكان في قوة الزيادة فركب الماء اكثر تلك الارض فصار حايلا بين الفرنج وبين مدينة دمياط وانحصروا فلم يبق لهم سوي طريق ضيقة فامر السلطان الوقت بنصب الجسور عند اشموم طناح وعبرت العساكر عليها وملكت الطريق التي يسلكها الفرنج الي دمياط اذا ارادوا الوصول اليها فاضطربوا وضاقت عليهم الارض واتفق مع ذلك وصول مرمة عظيمة الفرنج في البحر حولها عدة حراقات تحميها وقد مليت كلها بالميرة والاسلحة فقاتلهم شواني المسلمين وظفروا

وظفرها الله بهم فاخذها المسلمون وعندما علم الفرنج ايقنوا بالهلاك وصاروا المسلمون يرمونهم بالنشاب ويحملون علي اطرافهم فهدموا حينيذ خيامهم ومجانيقهم والقوا فيها النار وهموا بالزحف علي المسلمين ومقاتلتهم ليخلصوا الي دمياط فحال بينهم وبين ذلك كثرة الوحل والمياه الراكبة علي الارض وخشوا من الاقامة لقلة اقواتهم فذلوا وسالوا الامان علي ان يتركوا دمياط للمسلمين فاستشار السلطان في ذلك فاختلف الناس عليه فمنهم من امتنع من تامين الفرنج وراي ان يوخذوا عنوة ومنهم من جنح الي اعطايهم الامان خوفا ممن وراهم من الفرنج في الجزاير وغيرها ثم اتفقوا علي الامان وان يعطي كل من الفريقتين رهاين فتقرر ذلك في تاسع شهر رجب سنة ثمان عشرة وسير الفرنج عشرين ملكا رهنا عند الملك الكامل وبعث الملك بابنه الملك الصالح نجم الدين ايوب وجماعة من الامراء الي الفرنج وجلس السلطان مجلسا عظيما لقدوم ملوك الفرنج وقد وقف اخوته واهل بيته بين يديه وصار في اهبة وناموس مهاب وخرج قسوس الفرنج ورهبانهم الي دمياط فسلموها للمسلمين في تاسع عشرة وكان يوم تسليمها يوما عظيما وعندما تسلم المسلمون دمياط وصارت بايديهم فقدمت نجدة في البحر للفرنج وكان من جميل صنع الله تاخرها حتي ملكت دمياط بايدي المسلمين فانها لو قدمت قبل ذلك لقوي بها الفرنج فان المسلمين وجدوا مدينة دمياط قد حصنها الفرنج وصارت بحيث لا ترام ولما تم الامر بعث الفرنج بولد السلطان وامراية اليه وسير اليهم السلطان من كان عنده من الملوك في الرهن وتقررت الهدنة بين الفرنج والمسلمين ثماني سنين وكان مما وقع الصلح عليه ان كلا من المسلمين والفرنج يطلق من عنده من الاسري وحلف السلطان واخوته وحلفت ملوك الفرنج وتفرق الناس الي بلادهم ودخل الملك الكامل الي دمياط باخوته وعساكره وكان يوم دخوله اليها من الايام المذكورة ورحل الفرنج الي بلادهم وعاد السلطان الي مقر ملكه واطلقت الاسري من ديار مصر وكان فيهم من له* من ايام السلطان صلاح الدين

Digitized by Google

الدين يوسف وسارت ملوك الشام بعساكرها الي بلادها وعمت بشارة اخذ المسلمين مدينة دمياط من الفرنج ساير الافاق فان التتر كانوا قد استولوا علي ممالك المشرق واشرف الفرنج علي اخذ ديار مصر من ايدي المسلمين وكانت مدة نزول الفرنج علي دمياط الي ان اقلعوا عنها سايرين الي بلادهم ثلاث سنين واربعة اشهر وتسعة عشر يوما منها مدة استيلايهم علي مدينة دمياط سنة وعشرة اشهر واربعة عشر يوما *

EXPEDITIONUM A GRAECIS ET FRANCIS ADVERSUS DIMYATHAM AB A. C. 708 AD A. C. 1221 SUSCEPTARUM ENARRATIO, AUCTORE TAKYODDINO AHMEDE AL-MAKRIZIO.

Urbs Dimyatha (*ex quo expugnata fuit*) perpetuo mansit in potestate Moslemorum (1), donec illam obsiderent Graeci A. H. 90 (Chr. 708—9), caperentque Khaledum ibn Kaisan regioni maritimae praefectum, quem tamen ad se missum Imperator Graecus mox reddidit fidelium Principi Walido ibn Abdalmalek, induciarum caussa, quae inter ipsum et Graecos obtinebant. Postea Heschamo ibn Abdalmalek Khalifatum obtinente, Graeci A. H. 121 (Chr. 738—9) Dimyatham navibus trecentis et sexaginta aggressi, magnam stragem ediderunt multosque captivos fecerunt. Quem conatum postea repetiverunt ineunte seculo tertio, ad occupandas provincias allecti, cum dissidiis, quae inter duos fratres Mohammedem al Aminum et Abdallam al Mamoumum

Digitized by Google

num exorta fuerant, tum ipsius etiam (2) Aegypti turbis. Deinde cum Khalifatum adeptus esset al Motawakkel ala allah Aegyptique praefectus esset (3) Anbasah ibn Ishak, (4) invaserunt Graeci Dimyatham A. 238 (Chr. 852—3), die festo Arafae (*die 9 mensis Dzulhedjae*) eaque occupata multos occiderunt Moslemos, mulieresque et parvulos et (5) provinciales in captivitatem abduxerunt. At mox die sacrificii (*sive mensis Dzulhedjae decimo*) in eos (6) excurrit Anbasah ibn Ishak cum exercitu, idemque alii multi fecerunt, sed Graecos adsecuti non sunt, qui Tennim se receperunt, et in ostio Tennitico stationem egerunt, nec deinceps ad hostem perrexit Anbasah.

(7) Quibus rebus commotus al Motawakkel arcem Dimyathensem aedificari jussit; quae substructio feria secunda, die tertio mensis Ramadhanis A. H. 239 (Chr. 853—4), initium habuit: eodemque classis Aegyptia instituta est (8). Redierunt etiam isto anno 239 Graeci, Dimyathamque invaserunt navibus circiter ducentis, et per integrum mensem in regione litorali grassati sunt caedibus et rapinis, ac cum Moslemis aliquoties conflixerunt. Deinde, turbis exortis post Kafouri Ikhschidici mortem, Graeci Dimyatham adorti sunt viginti et ultra navibus, et occiderunt vel in captivitatem abduxerunt 150 Moslemos, acciditque ista res die decimo Redjebi A. 357 (Chr. 967—8). Anno autem 408 (Chr. 1017—8) (9) piscis ingens circa Dimyatham apparuit, cujus longitudo erat ducentorum et sexaginta cubitorum cum centum ulnarum latitudine (10). Ventrem belluae, quae asinus marinus appellari solet, camela onusta transire poterat. In cranio quinque viri erecti stabant cum palis, quibus adipem eximebant plebique tradebant. Accolae autem per longum tempus ferae carnibus vescebantur (11). Imperante Khalifa al Fayez binasr allah Isa, et

Digitized by Google

Veziratum gerente al Salah Talayeh ibn Rozzik, Dimyatham obsidione cinxerunt sexaginta circiter naves mense Djomadio posteriore A. H. 550 (Chr. 1155 — 6). Classem illam miserat Louhin (vel Loudjiz) filius Rodja (i. e. *Guilielmus Rogerii filius*) Siciliae dominus. Hostes omnia caedibus et rapinis implentes Tennisum etiam, Raschidum et Alexandriam invaserunt, magnamque iis in locis stragem ediderunt. Mox Khalifatum adeptus est Adhed ledin illah, quo imperante, et Veziratum jam altera vice gerente Schavero ibn Modjer Saädita, dum Mari (*Amalrichus*) Francorum Rex ad Kahiram accedebat, et urbem obsidione premens tributum civibus imperabat, conflagrabatque interea urbs Fosthathae; ab altera parte cum viginti navibus longis praefectus classi Francorum (12) Tennisum, Aschmoum et Moniyyat Amrou aggressus, alios Moslemorum occidit, alios in captivitatem et vincula abripuit.

Haud ita multo post, quo tempore al Malek al Naser Salahoddin Yousef ibn Ayoub Veziri locum apud Adhedum ledinillah (*Khalifam Fathemidam*) tenebat, (13) Franci ad Dimyatham accesserunt, mense Rabia priore A. 565 (Chr. 1169 — 70). Naves hostium erant ultra mille et ducentas. Quapropter copiae (*Aegyptiae*) Kahira egressae sunt, in quas plus quam quingenta et quinquaginta millia aureorum erogata fuerant. Duravit bellum istud, gravioribus tristissimisque fortunae casibus annumerandum, dies quatuor et quinquaginta. Nec deerant interea optimatium Aegyptiorum complures, qui Francis auxiliari et literarum commercium cum illis habere putarentur, quos ergo al Malek al Naser comprehensos de medio sustulit. Illius autem calamitatis caussa haec fuit. Cum (14) Gozzi una cum Asadoddino Schirkouho ex Syria in Aegyptum transiissent, Franci ad regionem Aegyptiam invadendam conversi sunt, et ne isti Aegyptum oc-

Digitized by Google

occuparent metuentes, a tribulibus suis Siciliam tenentibus auxilia petere coeperunt, a quibus etiam opes et arma egregio eum belli apparatu missa sunt. Dein Franci cum musculis machinisque profecti, eoque navium numero quem diximus, apud Dimyatham castra posuerunt, mense Safaro, eamque (15) et terra et a latere fluminis obsidione cinxerunt. Quamobrem Sultanus Salahoddinus (16) Takyoddinum Omarum ex fratre nepotem Dimyatham proficisci jussit, eique cum exercitu submisit Emirum Schehaboddinum al Kharemium, (vel al Hazemium) atque ambos pecunia, commeatu armisque instruxit. Interim Dimyatheni in magnas angustias redigebantur, quippe quibus ne noctu quidem a bello Francico quies erat. Hinc Salahoddinus misit, qui a Nouroddino Mahmoude ibn Zenki, Syriae rege, auxilia peterent, eique significarent, se quidem Kahira egredi et cum Francis confligere non posse, ne forte Kahirenses in absentem res novas molirentur. Quibus auditis alias copias post alias ipsi misit Nouroddinus, dum ipse Damasco egressus Francorum Syriam litoralem obtinentium ditionem invaderet et diriperet (17). Quod cum ad Francos Dimyatham obsidentes allatum esset, hi, metuentes ne provinciae suae a Nouroddino occuparentur (18), die vigesimo quinto Rabiae prioris Dimyatha relicta castra moverunt, submersis navibus circiter trecentis, plurimisque militibus peste, quae in exercitum grassabatur, amissis, incensisque machinis aliisque impedimentis, quae asportari non poterant. Caeterum Salahoddinus dicere solebat se numquam vidisse quemquam Adhedo liberaliorem, quippe qui, Francis Dimyatham obsidentibus, praeter vestes et alia, decies centena millia aureorum ipsi submisisset.

Anno 577 (Chr. 1181 — 2) (19) milites collocati fuerunt in duabus turribus (*Dimyathae*) et alligata sunt navigia ad catenam, ut illis in-

Digitized by Google

insistentes pugnare, et (*hostes*) a transitu inter duas turres arcere possent. Praeterea murorum pars, quae disjecta fuerat, instaurata est, et foramina oppleta sunt, et firmata catena, quae inter duas turres erat, quae res impensam mille aureorum traxit. Mensuratus (?) etiam est murus, cujus ambitus fuit 4630 cubitorum.

Anno 588 (Chr. 1192—3) (20) Sultanus arbores hortorum Dimyathensium excidi fossamque urbi circumduci jussit, pontemque construxit juxta catenam turris.

Anno autem 615 (Chr. 1218—19) magnum illud bellum Dimyathense gestum est, cujus hae caussae fuerunt. Anno superiori 614 (Chr. 1217—18) (21) continua Francorum auxilia venerant ex Roma Magna Papae sede, aliisque regionibus Francicis, et Ptolemaidem profecti sunt, ubi magnus regum conventus fuit, qui data acceptaque fide Hierosolymas adoriri, illasque Moslemorum manibus eripere constituerant. (22) Ubi vero al Maleko al Adelo Abou Becro ibn Ayoub nuntiatum est magnas Ptolemaide copias congregari, Aegypto egressus cum exercitu Ramlam venit. At mox Ptolemaide excurrerunt Franci cum ingenti apparatu et (23) al Adelum Baisanem profectum assequi conati sunt. Hic illorum multitudinem, suorum vero paucitatem reputans extimuit, et vestigia relegens, Damascum petiit. Ergo Baisanenses eorumque vicini, qui Regis ibi castrametantis tutela freti, sedes suas non reliquerant, vix digresso Sultano, Francos advenire viderunt, qui gladio in incolas saevientes, loca culta diripuerunt et opum Moslemicarum vim accumularunt innumerabilem, occupatisque Baisane et Paneade, reliquisque pagis circumjacentibus, triduum ibi haeserunt, deinde in campestrem Ptolemaidis tractum cum praeda captivisque redierunt. Periit ista invasione magnus Moslemorum numerus (24). At Fran-

Digitized by Google

Franci, postquam aliquamdiu in campis castra habuerant, altera vice nostram ditionem aggressi, Saidam et (25) Schakifum expilarunt, tum in campum Ptolemaidis reversi, ibi manserunt. Haec autem omnia acciderunt a medio inde mense Ramadhane ad festum al Fedhr (*jejunii solutionem*). Interim al Malekus al Adelus subsistebat in (26) Mardj al Soffar, miseratque filium (27) al Moadhdhamum Isam cum exercitu Naplousam, ut Francos ab illa urbe invadenda et aggrediendis Hierosolymis arceret. Dein Franci arcem al Thour dies septemdecim continuos obsederunt, tum iterum Ptolemaidem reversi Aegyptum adoriri constituerunt. Ergo tota eorum multitudo, mare transmisso, mense Safaro Dimyatham petiit, et castra posuit ad urbem (28) feria tertia, die quarto mensis Rabiae prioris A. 615 (Chr. 1218 — 19), qui dies respondet octavo mensis Haziran. Erant autem equitum 70000, peditum 400000, qui tentoria erexerunt ex adverso Dimyathae in terra occidentali, et castra fossis aedificatoque muro muniverunt: tum quantocyus turrim Dimyathae oppugnarunt, unde catenae ferreae gravissimae trans Nilum extendebantur, ut naves per mare advenientes ab Aegypto per Nilum ingredienda arcerent. (29) Etenim Nilus, ubi Fosthatham pervenit, urbem praeterfluit versus septemtrionem, usque ad Schattanaufum, ubi in duo brachia dividitur, quorum alterum a sinistra pergens ad Raschidum in mare effunditur, alterum a Schattanaufo ad Djaudjar defluit, ubi iterum scinditur bifariam; ita ut altera pars pergat Aschmoumum et in lacum Taniticum exeat, altera a Djaudjare decurrat Dimyatham ibique in mare se exoneret. Hoc autem (30) brachium Nili separat urbem Dimyatham a terra (vel continenti) occidentali, quae Djizeh Dimyath appellatur, et aquis Nili marisque undique cingitur. Quo igitur in tractu agentes Franci machinas fu-

 nes-

Digitized by Google

nesque parabant, deinde (31) turres erigebant, quas navibus impositas et adverso flumine subductas ad arcem illam catenae adnovorent et ad eam occupandam adhiberent. Quod si essent consecuti, transitus ipsis per Nilum Kahiram usque patebat et Fosthatham. Turris erat referta militibus: at Franci, novo machinae genere adversus eam excogitato, (32) turrim ex longissimis palmis constructam navi magnae onerariae imposuerunt, et in propugnaculum hostile cursum direxerunt, donec navem ad ipsum applicuissent, et illos, qui intus erant, pugna aggressi arcem cepissent. Interim fama de obsessa a Francis Dimyatha pervenerat ad al Malekum al Camelum, qui patris (*absentis*) al Maleki al Adeli nomine Aegyptum regebat. (33) Hic igitur die tertio postquam columba ipsi de Francorum adventu nuntium attulerat, (post ipsam hostium exscensionem quinto) cum copiis suis Kahira egressus est, et (34) provinciae Al Garbiyyeh praefecto imperavit ut Arabes congregaret: dein magna cum turba movit ulterius, et (35) classe, quae simul profecta erat, infra (?) Dimyatham subsistente, Sultanus in palatium al Adeliyyeh divertit prope Dimyatham. Exercitus ad urbem usque extendebatur ut Francos a transitu arceret. Flagrabat pugna indesinenter, (36) turrisque jam quartum mensem hostibus repugnabat. (37) Al Malekus al Adelus vero copias suas, alias post alias, e Syria submittebat, donec omnes apud al Malekum al Camelum convenissent. Nec tamen interea pugna remissior fuit, quamobrem al Malekus al Adelus magno propter obsessam a Francis Dimyatham metu multisque curis exagitatus, e Mardj al Soffar (38) castra movit ad Alekin, ubi morbo correptus obiit die septimo Djomadae posterioris: quem casum al Malekus al Moadhdhamus Isa occuluit, patremque lectica clausa transferri jussit Damascum. Eodem vehiculo inclusus erat servus, ad-

Digitized by Google

adequitabant autem lecticae medicus et pincerna, qui potiones conficiebat, et ad servum ferebat ut illas hauriret, dum vulgus putabat id a Sultano fieri. Sic detulerunt corpus in castellum Damasci, quo thesauri et aerarii repositoria comportata fuerant. Tum mortem Sultani patefecit, omnesque facultates, quae cum eo fuerant, sibi vindicavit al Malekus al Moadhdhamus Principis filius, qui patrem primum in ipsa arce sepelivit, dein in collegium Adeliticum transtulit, quod in ipsa urbe Damasci jacet. Ut vero nuntius de obitu patris ad al Malekum al Camelum pervenit, in palatio al Adeliyyeh haud procul Dimyatha agentem, regno potitus est Aegyptiaco. At Franci magno cum conatu pugnae instantes ad extremum turrim catenae ceperunt (39) catenasque diffregerunt ipsi alligatas, ut navigia sua libere per Nili flumen commearent, ipsique facilius regionem occuparent. Ab altera parte al Malekus al Camelus loco catenarum (40) magnum navium pontem (*transverso flumine*) collocavit, ut Francos in adscendendo Nilo impediret; at illi nihilo secius hunc quoque vehementissima pugna adorti perruperunt, magno Sultani damno, qui in turrim pontemque ultra 70000 aureorum impenderat. Al Camelus autem rebus suis rite regundis, dolisque, quibus Francos aggrederetur, intentus, quotidie repetitis vicibus a palatio al Adeliyyeh versus Dimyatham equitabat, multasque naves, ut Nilum Francis impervium faceret, mergi jubebat. (41) Ergo hostes canalem, per quem olim Nilus defluxerat, Azrak appellatum, aperuerunt, et cum profunde excavassent, eaque via aquam Nili in mare deduxissent, naves adverso flumine submiserunt usque ad Bouram, quae est in terra Djizeh Dimyath, e regione palatii, quo Sultanus diverterat. Cum vero Bouram pervenissent et adversi consisterent, ex isto loco et in ipso flumine eum oppugnare instituerunt. At quamvis saepissime

 ipsum

Digitized by Google

ipsum invaderent, per longum tempus nihil tamen adversus eum efficere potuerunt: nec isto conatu res Dimyathensium multum mutatae sunt. Nam commeatus et auxilia civibus affluebant, Niloque inter illos, Francosque intercedente, ne portae quidem urbis clausae erant, ita ut nullas angustias, nulla damna, ex obsidione experiretur. Quin etiam Arabes singulis noctibus Francos nonnullos abripiebant, neque isti invasionum illarum metu distracti, somno se credere audebant, donec magis magisque crescente Arabum audacia, totisque tentoriis cum militibus, qui intus erant, interdiu quoque ablatis, ad extremum Franci, globo militum in insidiis collocato, multos interficerent. (42) Mox magna vis hyemis milites invasit, fluctusque maris intumescentes castra Moslemorum inundarunt hominesque submerserunt. Magna illa calamitas fuit et creverunt angustiae, Francis simul instantibus et rerum paene potitis, donec Deus ventum immitteret, ruptisque anchoris (43) navis Francorum, quae mundi miraculis accensenda erat, in Moslemicam ripam abriperetur et in nostrorum potestatem veniret. Haec laminis ferreis obtecta erat, nec flammis corripi poterat, et quingentorum cubitorum longitudinem habebat. Quam ubi fregerunt, clavi (*qui compaginem firmabant*) in ea reperti sunt ponderis quinque et viginti librarum. Miserat autem al Malekus al Camelus in varias regiones legatos septuaginta, ut fideles ad auxilia Moslemis mittenda excitaret, illisque Aegypti alias a Francis occupandae metum injiceret. (44) Venerunt ergo copiae subsidiariae ad al Camelum, mense Schawale ex Hamatha et Halebo. Dum vero ista res hominum mentes occupatas tenebat (45) Emadoddinus Ahmed filius Emiri Seifoddini Aboul Hasanis Alii filii Ahmedis al Hakari, cognominatus Ibn al Meschtoub, accepto nuntio de Sultani al Maleki al Adeli obitu, res novas adversus al Malekum al Camelum moliri coepit. Huic turba-

mi-

Digitized by Google

miscella parebat et obsequebatur. Erat enim summae dignitatis Emirus, et dux primarius inter Curdos Hakaritas, magnamque apud Reges obtinebat auctoritatem, quibus annumerari solebat, unius eorum instar habitus. Indoles quoque viri, liberalitate amplissimaque munificentia praediti et militari virtute spectabilis, ad maxima quaeque, quin ad ipsum regiae potestatis fastigium tendere videbatur. Huic viro insignes fortunae casus obtigerant, locumque jam habuerat inter Emiros Salahoddini Yousefi. Nunc verò egerat cum parte copiarum Curdisque, ut de communi consilio al Malekum al Camelum regno amoverent, eique nomine tenus sufficerent fratrem (46) al Malekum al Fayezum Ibrahimum; dum ipse Emadoddinus veram potestatem obtineret. Consenserant ipsi Emiri Azzoddin al Hamidi, Asadoddinus al Hakari, et Modjaheddinus, nec non ex aliis Emiris haud pauci. Quae cum ad al Malekum al Camelum perlata sunt, illis supervenit circa Coranum congregatis, ut al Fayezo sacramentum dicerent. Illi autem, agnito Sultano, dispersi sunt, dum al Camelus nihilominus saluti suae timens retro se recipiebat. Opportunus ergo fuit adventus (47) al Sahebi Safjoddini ibn Schaker ex Amida, unde ipsum post patris al Adeli obitum al Camelus evocaverat. Obviam ipsi processit Sultanus, multoque honore excepit, et quid ipsi contigisset, exposuit. Contra magnam pecuniae vim (*qua milites in officio contineret*) se comportaturum ipsi promisit Safjoddinus. Vel sic tamen al Malekus al Camelus, cum nox ingruisset, solus, equo conscenso, relictoque palatio al Adeliyyeh, oppidum Aschmoum Thanah petiit ibique sedem fixit; quo factum est ut copiae militares, cum primo mane Sultanum desiderarent, relictis impedimentis, tentoriis, opibus et armis, omnes, nulla commilitonum ratione habita, quo animus ferebat abirent, et ad Sultanum venirent. Re co-

Digitized by Google

gnita, Franci circa idem fere tempus celeriter tetenderunt ad urbem, et, nemine repugnante aut prohibente, in ripa orientali castrametati sunt, (48) feria tertia, die decimo sexto Dzoul Kaâdae, et quidquid in Moslemorum castris reperiebatur, diripuerunt, praedam omni enumeratione ampliorem. Magnis interim suspicionibus agitabatur Sultanus, et parum aberat quin regnum missum faceret; cum ab altera parte ab omnibus suis comitibus sibi malum timeret, ab altera Franci magis magisque Aegypto inhiarent, illamque totam mox sibi cessuram esse arbitrarentur. Sed Deus O. M. adjuvabat tamen Moslemos, Sultanumque confirmabat adventu fratris Al Maleki al Moadhdhami. Quo ad Aschmoum Thanah accedente, robur illius ingravescere animique crescere coeperunt. Nam al Moadhdhamus a fratre certior factus eorum, quae moliretur Ibn al Meschtoub, se confestim tantae molestiae finem impositurum promisit. (49) Tum conscenso equo perrexit ad tentorium Ibn al Meschtoubi, eumque evocavit, ut una secum equitaret profectionemque susciperet. Alter tantisper morae petiit, donec ocreas vestesque equiti idoneas induisset: quod ipsi non concessit al Moadhdhamus, eumque urgere non desiit, donec equum conscenderet. Dein hominem extra al Cameli castra abduxit eique dixit: Tu, o Emadoddin, hoc, quidquid est regni, in tua potestate habes: ego vero illud nobis concedendum esse censeo. Tum ipsi commeatum dedit, fidissimisque comitum suorum ducem in custodiam tradidit, quibus praecepit ut virum per desertum deducerent, nec prius ab eo discederent, (50) quam Syriam reliquisset. Ibn al Meschtoub non potuit quin obediret al Moadhdhami imperiis, nam solus cum esset, repugnandi potestatem sibi relictam non esse videbat. Ergo primum Hamatham deductus, mox in regiones orientales abiit. Quo ablegato rediit al Moadhdhamus ad al Camelum, fra-

Digitized by Google

fratremque (51) al Fayezum Ibrahimum, al Maleki al Cameli nomine, cum epistola ad Syriae reges proficisci jussit, ut illos ad bellum Francis inferendum excitaret. Hic ita dimissus primum Damascum venit, dein Hamatham, ubi, ut fama est, veneno periit. Sic igitur al Camelo imperium confirmatum et timoris caussa sublata est (52). At nihilominus Franci Dimyatham terra et flumine circumsedebant, civesque arctissima obsidione premebant, commeatumque omnem ab ingressu prohibebant, et castra sua ab omni parte muro et fossa muniverant. Repugnabant quidem fortissime Dimyathenses, hostemque arcebant, sed annonae caritate commeatusque penuria affligebantur. Discesserat interea al Moadhdhamus a fratre in Syriam, Al Maleko al Camelo ad Francos oppugnandos subsistente. Magnam tum temporis apud regem gratiam iniit Schamayel quidam, satellitibus, (53) qui regium stapedem cingunt, et Djandariah appellantur, adscriptus. Hic ad flumen transnatandum urbemque intrandam se accinxit, et cum eo penetrasset, civibus proximum auxiliorum adventum promisit. Hinc inter intimos al Cameli ministros fuit et praefectura Kahirae ornatus est; qua in urbe horreum Schamayeli ab eo nomen habet. Hic rerum status fuit sub initium Anni 616 (*Die* 19 *Martii A. C.* 1219), quo tempore al Malekus al Mansourus Mohammed ibn Omar ibn Schahinschah ibn Ayoub filium suum al Modhafferum Takyoddinum Mahmoudum, ad bellum bene paratum, ad avunculum auxilio misit contra Francos cum magno exercitu, cui ad castra tendenti obviam venit al Malekus al Camelus, eique locum assignavit in dextro cornu, quem pater et avus etiam obtinere consueverant apud Sultanum Salahoddinum Yousefum. Jam magis urgebat hostium impetus Dimyathenses. (54) Erant quidem in urbe milites ad 20000, sed morbis foedati et annonae caritate ex-

Digitized by Google

exhausti. Quippe unum ovum gallinae multis ibi aureis vendebatur. Narrat (55) al Hafedh Abdal Athim al Mondari, se audivisse (56) Doctorem Aboul Hasanum Alium ibn Kafal, affirmantem Dimyathensem aliquem ex ditioribus habuisse vaccam, illiusque per obsidionem jugulatae carnes distraxisse aureis octingentis. Idem al Mondari in libro, al Moadjem al Motardjem appellato, refert, quod ab Emiro Abou Becro ibn al Hasan ibn Kaschounam acceperat, hunc fuisse Dimyathae, quo tempore ab hoste obsideretur, atque emisse libram sacchari centum et quadraginta aureis, gallinam vero triginta. Item sibi comparasse tres gallinas nonaginta aureis, utrem aquae quadraginta nummis argenteis: sepulcri fodiendi pretium fuisse quadraginta aureos (*Mitskal*). Aliquando soror mea (sunt ipsa verba Emiri Abou Becri) (57) cameli ventrem fiderat, eumque gallinis, fructibus, leguminibus aliisque rebus impleverat, iterumque consuerat, et in flumen projecerat, postquam me per literas monuisset, ut camelum mortuum in Nilo conspectum caperemus. Ergo cadaver noctu litori nostro allapsum extraximus, in eoque magnam rerum copiam reperimus, quam civibus distribuendam curavi. Eadem illa mulier postea tres ejusmodi camelos eadem ratione paraverat, quos Franci tamen re intellecta ceperunt. Per totam urbem (58) mortuorum corpora domos viasque oppleverant, deficiebant alimenta, nec gemma rarior erat in urbe quam saccharum: caro plane desiderabatur, nec ulla illius parandae via supererat, resque eo tandem devenit ut exigua admodum frumenti hordeique copia suppeteret. Tum vero murum conscenderunt Franci: quo facto (59) urbem ceperunt feria tertia die vigesimo quarto mensis Schaaban. Tenuerat obsidio menses sedecim cum diebus duobus et viginti. Urbe capta gladio saevierunt in incolas Franci, et in caede omnem modum excesserunt, fuitque ingens interfectorum numerus.

Digitized by Google

rus. Qua re ad Sultanum perlata, ipse biduo post occupatam Dimyatham (60) castra movit, sedemque fixit e regione Talkhae, ubi duo brachia Nili, Dimyathense et Aschmoumense, incipiunt, et tentoria erexit in statione, quae deinceps al Mansourah appellata est. Franci autem muros Dimyathae communiverunt, (61) templumque Moslemicum primarium in Christianum mutaverunt, (62) dimissisque per vicos circumjacentes equitum turmis, omnia caedibus et rapinis impleverunt; dum ab altera parte Sultanus, missis per varias provincias literis, omnes evocabat, ut ad Francos regno Aegyptio depellendos adessent, exercitusque Sultani domibus, diversoriis, balneis, forisque exstruendis in statione al Mansourah incumbebat. Deinde Franci captivos Moslemos per mare Ptolemaidem miserunt, ipsi Dimyatha egressi Sultanum adorti sunt e regione al Mansourae, quamvis inter ambos exercitus duo Nili brachia, Dimyathense et Aschmoumense, intercederent. Francis erant (63) ducenta millia peditum, decem equitum. Moslemi naves suas bellicas ad centum ante al Mansouram constituerant, confluxeratque hominum turba ex Kahira et Fosthatha omnibusque locis ab Assouane usque ad Kahiram. Quippe Emirus Husameddin Younos et (64) al Fakih Takyoddin Aboul Thaher Mohammed ibn al Hasan ibn Abdorrahman Mehallensis, circuiverant, magnamque vulgi turbam ex Kahira et Fosthatha exegerant adduxerantque. Similiter Emirus Alaëddin Djelduk, item Djemaloddin ibn Seiram exierant ad homines congregandos, qui in locis inter Kahiram et extremum Hauf orientale sitis degebant. Ergo tanta confluxit multitudo ut numerari omnino non posset. Collocabat deinde Sultanus duo millia equitum cum aliquot Arabum millibus apud (65) Sarmesakh, ut vias inter Francos et Dimyatham obsiderent. Interim (66) naves bellicae Moslemorum, inter quas una

 in-

Digitized by Google

incendiaria maximae molis erat, duce Bedroddino ibn Hasoun, ad principium brachii Nili, quod al Mehalleh appellatur, procedebant, omnisque commeatus Francorum et terra et flumine intercipiebatur. Accedebant praeterea copiae Moslemicae ex Oriente et Syria in Aegyptum tendentes, uti ab altera parte Francis auxilia venerant ab illis, qui mare internum accolebant, unde tanta hominum multitudo coörta est, in Aegyptum penetrare gestiens, ut omnem computum superet. Quibus Dimyatham confluentibus, Franci magno numero et apparatu, prouti ante diximus, egressi sunt, e regione al Maleki al Cameli castra ponentes. Aegyptio Principi (67) copias auxiliares adduxit al Malekus al Aschrafus Mousa ibn al Adel, cujus vestigia pressit al Malekus al Moadhdhamus Isa, quos obviam progressus honorifice excepit al Malekus al Camelus, et in Mansourae castris sibi adjunxit, die tertio et vigesimo mensis Djomadae posterioris A. 618 (Chr. 1221—2). Eadem ratione reliqui etiam Reges alii post alios accedebant, donec numerus equitum Moslemicorum circiter ad 40000 pervenisset. Tum vero Francos et terra et flumine oppugnarunt, (68) et sex naves bellicas cum vectoribus, unamque onerariam ceperunt, captivosque fecerunt duo millia et ducentos, et brevi post naves alias tres in potestatem redegerunt. Quo casu cum Francorum animi cecidissent, magnasque in angustias se redactas esse cernerent, (69) legatos de pace miserunt, eodemque tempore nova al Camelo subsidia accesserunt ab Alexandrinis, qui 8000 militum miserant. Jam Franci pro suo ex regione Aegyptia discessu sibi tradi postulabant Hierosolymas, Ascalonem, Tiberiadem, Djabalam, Laodiceam, et quidquid occupasset Sultanus Salahoddinus Yousefus ex Syria litorali. Moslemi hos omnes tractus, quos memoraverant, concesserunt, exceptis tantum oppidis Krako et Schaubeko. Quas conditiones re-

Digitized by Google

rejiciebant Franci, exigentes ut haec etiam sibi traderentur, et insuper 300000 aureorum ad compensandam murorum civitatis Hierosolymitanae, ab al Maleko al Moadhdhamo dirutorum, ruinam. (70) Nam iste, cum mortuus esset pater al Malekus al Adelus, et Franci, occupata Dimyatha, e regione al Mansourae, adversus al Malekum al Camelum castra posuissent, timere coepit ne pars eorum, mari transmisso, Hierosolymas occuparet, ibique se communiret, omnesque adeo turres et moenia maxima et munitissima, una excepta turri Davidica, dirui jussit. Hinc plerique incolae, relictis Hierosolymis, unde praeterea omnia arma et instrumenta bellica avexerat Moadhdhamus, alio migrarunt, nec multi in urbe remanserunt. De his igitur, quae ante diximus, Moslemi cum Francis pacisci noluerunt, instauratque pugna, nostrorum agmen per brachium Nili Mehallense in illum terrae tractum transiit, ubi Franci agebant, (71) et flumini, quod tunc maximopere auctum erat, amplissimum exundandi locum praebuerunt, ita ut aqua in maximum illius terrae tractum se effunderet, et inter Francos et Dimyatham intercederet, nec circumsessis via superesset, praeter unam admodum augustam. Tum Sultanus quantocyus Nilum apud Aschmoum Thanah pontibus jungi jussit, et cum exercitu transgressus viam occupavit, quae Francis Dimyatham redituris sola patebat, turbatisque hostibus terra angusta facta est. (72) Dum haec aguntur, per mare advenit navis magna Francorum, multis navibus incendiariis cincta, quae illam tuerentur, et commeatu armisque repleta. Hanc, Deo juvante, Moslemorum navigia bellica, pugna commissa, in potestatem redegerunt. Quod ubi resciverunt Franci, de salute desperarunt. Huc accedebat quod Moslemi jam sagittis hostem infestare, jam extremum agmen adoriri inciperent. Ergo eversis tentoriis machi-

Digitized by Google

chinisque ignem injecerunt, Moslemosque infestis armis aggredi constituerunt. At multo luto aquisque terram tegentibus interclusi, nec propter annonae defectum diutius ausi subsistere, supplices pacem flagitarunt, ea conditione ut Dimyatham Moslemis redderent. (73) Sultanus cum suis illa de re dissentientibus consultationem habuit, nec deërant, qui illos in fidem recipiendos esse negarent, et vi et armis in potestatem redigendos arbitrarentur. Vicit tamen nonnullorum sententia, qui metu aliorum Francorum, quos isti in insulis aliisque locis a tergo reliquerant, securitatem concedendam esse existimabant. Tum de pace convenit, deque dandis utrimque obsidibus, eaque res constituta est, (74) die nono mensis Redjebi A. 618 (Chr. 1221 — 2). Ergo Franci e Principibus suis (75) obsides miserunt viginti, al Malekus al Camelus autem filium suum (76) al Malekum al Salehum Nedjmoddinum Ayoubum, turbamque Emirorum illis tradidit, (77) consessuque splendide instructo excepit Principes Francorum, fratribus et familia coram eo adstantibus, totaque illius apparatus ratio majestatis plena fuit. Mox seniores monachique Francorum Dimyatham progressi illam Moslemis tradiderunt, die decimo nono, qui dies sane memorabilis fuit. (78) Vix autem recepta et in manus Moslemorum Dimyatha tradita fuerat, cum per mare nova auxilia Francis accesserunt, estque profecto inter primaria Dei beneficia numerandum, quod illae suppetiae eo usque moratae sunt, donec Dimyatham Moslemi occupassent; nam si prius venissent, Francorum res quam maxime confirmassent. Caeterum Moslemi urbem repererunt adeo a Francis munitam, ut illius expugnandae cupiditas omnibus exemta foret. Rebus, de quibus convenerat, rite perfectis, remiserunt Franci filium Sultani Emirosque, Sultanus vero reddidit Francorum Principes, quos obsides habuerat, (79) induciaeque factae

sunt

Digitized by Google

sunt in annos sequentes octo. Conditiones pacis inter alias hae fuerunt, ut Moslemi Francique pariter dimitterent captivos, quos in vinculis tenebant. Quibus al Maleki al Cameli, fratrumque, item Principum Francorum jurejurando confirmatis, quisque in suas regiones discessit. Al Malekus al Camelus vero Dimyatham venit cum fratribus et exercitu, fuitque admodum memorabilis illius diei solemnitas. Francis in suas regiones digressis, Sultanus etiam in sedem regni rediit, dimissique sunt ex Aegypto captivi, (80) in quibus nonnulli inde ab aetate Sultani Salahoddini Yousefi in vinculis fuerant. Deinceps Principes Syriae auxiliares in sua quique regna discesserunt, laetaque fama de recepta a Moslemis Dimyatha per omnes regiones divulgata est, tanto laetior, quod simul Tatari, occupatis Orientis regnis, simul Franci, Aegyptum Moslemis erepturi, nobis imminerent. Iam ab eo inde tempore, quo Franci Dimyatham obsidere coeperunt, donec domum velis datis redirent, (81) trium annorum, quatuor mensium et novemdecim dierum intervallum effluxerat, tenuerantque interea Dimyatham annum integrum, mensesque decem, diesque viginti quatuor.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

(1) *Donec illam obsiderent Graeci.*] Mirum est neque hujus incursionis, neque insequentium expeditionum, quae Heschamo, Mamouno et Motawakkelo imperantibus acciderunt, ullam apud Graecos auctores mentionem reperiri. Nam exspectandum erat illos, qui clades a Saracenis acceptas saepe memorent, res a suis bene gestas silentio non esse praeteriturros. Nec etiam alii scriptores Orientales, quos equidem inspexi, de tribus istis expeditionibus loquuntur, quas sub Walido I, Heschamo et Mamouno a Graecis susceptas esse testatur Makrizius.

(2) *Aegypti turbis*] Dissidia inter Emiros Aegyptios, quae Graecis invadendae provinciae opportunitatem praebebant, originem quidem habuerunt in bello civili, inter Aminum et Mamounum gesto, at per multos tamen annos post Amini caedem A. 198 (Chr. 813—4) patratam, continuata sunt, ita ut annus demum 210 (Chr. 825—6) turbis finem afferret. Rerum Aegyptiarum isto tempore conditionem fuse exposuit Makrizius, excerptus a V. C. Quatremère, in *Mémoires Géogr. et Histor. sur l'Egypte* T. I. p. 309—320. Cf. etiam auctt. laudd. a Reiskio ad Abulf. T. II. p. 477.

(3) *Anbasah ibn Ishak*] In praefectorum Aegyptiorum catalogo, excerpto ex كتاب الكواكب السايرة في اخبار مصر والقاهرة (cf. *Not. et Extraits des MSS.* T. I. p. 280) hujus viri nomen non exstat, sed ejus loco memoratur al Mostanser Khalifae al Motawakkeli filius, qui Aegyptum obtinuerit ab A. 233 (Chr. 847—8) ad A. 241 (Chr. 855—6). Quae res (licet in tempore definiendo erratum sit) illustrari poterit ex Khalifarum more et consuetudine, Aegypti, ditissimae provinciae, praefecturam filiis, cognatisve, aut interioris admissionis ministris, tribuentium, qui ipsi reditu emolumentisque fruentes provinciam per legatos regerent. Invaluit ista res imprimis, ut ex Makrizio constat, post Ha-

Digitized by Google

Harounum al Raschidum; nam eo imperante complures adhuc ex gente imperatoria Abbasidarum, in his Abdallah ibn Mohdi Khalifae frater, Aegyptum per aliquod tempus ipsi rexerant, reliquam deinceps curam vicariis suis committentes. Idem antea fecerat, sub Aboul Abbasi al Saffahi Khalifatu, Saleh ibn Ali ibn Abdallah ibn Abbas. Ommayadis autem rerum summam tenentibus, Abdolaziz ibn Merwan, Khalifae Abdolmaleki frater, et Abdallah, ejusdem Abdolmaleki filius, ex Aegypti praefectura, quam Principis nomine tenebant, numquam discessere. Mali exempli primus auctor fuit al Motasem, al Mamouno fratre illius Khalifatum obtinente, quod, eodem al Motasemo filioque illius Watseko et nepote al Motawakkelo regnantibus, imitati sunt Turcarum duces (quorum in Khalifarum aula tum temporis jam magna fuit auctoritas) Abou Djafar Ashnas (اشناس vel اسناس), et Inah, vel Inadj, vel Itakh (ايتاخ vel ايناج, ايناخ), quorum illi ab anno inde 219 (Chr. 834) ad A. 230 (Chr. 844—5), hic ab A. 230 ad A. 235 initium (mensem Julium A. C. 849) Aegyptum per legatos administrabant, ut in munere successorem, ita in negligendo officio imitatorem, nacti al Mostanserum, al Motawakkeli Khalifae filium, et designatum regni haeredem; cujus vicem primum sustinuit Ishak ibn Yahya al Djabali, dein Mahfoudh (محفوظ) Abdolwahid ibn Yahya: cui tertius Al Mostanseri in Aegypto vicarius successit, Anbasah ibn Ishak, qui hujus disputationis instituendae opportunitatem nobis praebuit. Plenum et perfectum viri nomen est Abou Djabar Anbasah ibn Ishak ibn Amrou ibn Anis (عنيس). Rexit Aegyptum summa cum justitiae laude annos quatuor cum triente, ab A. 238 (Chr. 852—3) mense Rabia posteriore, ad A. 242 (Chr. 856—7) mense Redjebo. Ultimus praefectorum Aegypti fuit ex Arabica gente, nam reliqui deinceps Turcica mancipia fuerunt. Postremus quoque omnium preces solennes populo praeivit die Veneris, quod legati Khalifae eo usque suae dignitatis insigne habuerant.

(4) *Invaserunt Graeci Dimyatham*] Hujus expeditionis inter editos scriptores Arabicos meminit Abulfaragius H. D. p. 261, inter ineditos Nuweirius MS. 1939 (2) T. XI. p. 190, quorum narrationes inter se compositae, et cum Makrizio collatae, nobis luculenter ostendunt, quid de ista Graecorum invasione existimandum sit. Narrant igitur ambo scriptores, quos nominavimus, Graecos venisse cum trecentis navibus, et ex tribus, quos habebant, ducibus unum, cum tertia parte navium stationem habuisse apud Dimyatham (دمياط ناخ), tum urbem

bem defensoribus vacuam, ab hostibus occupatam et direptam, templum Moslemicum incensum, et sexcentas mulieres in captivitatem abductas fuisse, reliquis incolis, quotquot poterant, Mesram, sive Fosthatham aufugientibus. His de suo addit Abulfaragius inter Dimyatham et litus fuisse lacus speciem, cujus aqua ad pectus usque viro pertingeret, adeo ut qui per vada ista transiret, a navibus per mare accedentibus tutus esset. Hinc Graecis advenientibus multi illac evadere conati sunt, quorum tamen haud pauci submersi perierunt. Dein Dimyatham non tantum, sed etiam Fosthatham, eo tempore a Graecis captam et direptam fuisse affirmat. Ab altera parte narrat Nuweirius Anbasam ibn Ishak, Aegypti praefectum, milites praesidiarios, qui Aegypti litora custodiebant, festi celebrandi gratia evocasse Fosthatham, quae res Graecis Dimyathae occupandae opportunitatem praebuerit. Confirmat quodammodo illud testimonium Makrizius, qui rem die festo Arafae accidisse perhibet. Nec minus ipsi in narrationis exitu cum Nuweirio convenit, qui his verbis narrationem suam claudit: وسارت الروم الى اشتوم تنيس وكان عليه سور له بابان من حديد فاخذوهما ونهبوا ما فيه من السلاح ورجعوا, *Et contenderunt Graeci ad ostium Taniticum, ubi castellum* (hoc enim sensu Arabes aliquando سور *murus*, ut Graeci suum τεῖχος, usurpant) *jacebat, duabus portis ferreis instructum. Has occuparunt, arcemque armis ibi sepositis spoliarunt et reversi sunt.* Quibus inter se comparatis, hoc nobis admodum verosimile esse videtur, Graecos non esse ingressos ostium Nili Phathmeticum, ubi Dimyatha jacebat, nec ab occidente, uti deinceps a Francis in sacris expeditionibus semel iterumque factum est, sed ab oriente, urbem adortos esse. Ab ea enim parte situs est lacus Menzaleh, quem procul dubio designavit Abulpharagius, cum speciem quandam lacus inter Dimyatham et litus sitam esse diceret. Hoc igitur litus, sive potius hanc tenuem terrae lingulam et isthmum, quae lacum a mari medio dirimit, et duobus ostiis hodieque Dibeh et Om faredj appellatis, et aquas lacus et Nili in mare emittentibus, intersecatur, occupasse, ibique ad ostium Dibeh, quod a Tanitico, sive اشتوم تنيس, haud diversum esse existimo, navium stationem habuisse, ipsum vero lacum, aestuariis vadisque infestum, non intravisse videntur Graeci. Moslemis autem in litoralli isto tractu deprehensis nulla fere elabendi via supererat, nisi per ipsum lacum vaderent, dum hostes per isthmum pergentes, Dimyatham ab oriente aggrederentur, et deinde, auxilia suis ferente Anbasah ibn Ishak, eadem via ad ostium Taniticum navesque suas se reciperent.

Quod

Digitized by Google

Quod vero de occupata a Graecis Fosthatha addit Abulpharagius, id fabulosum et in majus auctum esse videtur. Neque enim verosimile est urbem maximam, quo per dies festos totius Aegypti turba militaris confluxerat, a Graecis istis praedonibus adeo facile expugnari et diripi potuisse.

(5) *Provinciales*] Respondet ista vox accurate Arabico اهل الذمة, *populus clientelae*, quod passim de Christianis, Judaeis aliisque a Moslemica religione alienis, usurpatur, qui terras a Mohammedis asseclis occupatas tenuerunt, atque adeo a victoribus in clientelam et tutelam recepti sunt. Pocockius in versione Abulfaragii, p. 170, male pro من الذميات posuit *ex foederatis — feminis*. Nam vocabulo *foederati* non illi designantur, qui in deditionem, impetratis a victore conditionibus, veniunt; sed qui suis legibus utentes et libertate fruentes in foedus recipiuntur. Exempla formulae loquendi اهل الذمة, vel etiam simpliciter الذمة, de clientibus et dedititiis usurpatae, hic nulla laudamus, cum complurium locorum hac de re auctoritatem jam usurpaverimus, in notis nostris ad Pseudo-Wakidaeum, propediem edendis, p. 12. v. 16.

(6) *Excurrit*] In Arabicis نفر legitur, quod verbum a Golio non satis recte exponitur. Illius enim testimonio, potius *fugiendi* quam *persequendi* notionem habere videtur. Res autem facile explicari potest, si glossas conferas a Giggejo ex Firouzabadio prolatas, inter quas etiam ista *in hostem excurrendi* significatio non negligitur. Propria verbi potestas procul dubio sita est in *celeritate* et *festinatione* cursus, unde deinceps pro varia constructione magna notionum diversitas manavit. Sic cum من compositum vel *fugere* significat, vel *ab aliquo abalienari*, *aliquem aversari* (Cf. Abulf. A. M. T. III. p. 446. نفرت منه القلوب, *alienati sunt ab eo animi*; adde [p. 456]), cum Lam rei, *contendere ad aliquam rem conficiendam*. Cum accusativo personae, vel cum على, idem est quod غلب, *vicit*, *superavit*, *inprimis de improviso* (*iemand overrompelen*). Cf. Ibn Nobata Rasmuseni, p. 44 et 45. Cum الى denique non tantum, ut h. l. fit, de *excursione in hostem*, sed etiam, Firouzabadio teste, de *auxilio divino implorando*, vel *ad Deum confugiendo*: quin simpliciter de *profectione* usurpatur, ut apud Pseudo-Wakidaeum, in Codice Petropolitano *Expugn. Iracae*, legimus, نفر الى الشام, *celeriter contendit in Syriam*. Neque vero illud negligendum, omnes istas significationes, de quibus diximus, licet proprie a vario praepositionum usu pendeant, nonnum-

Digitized by Google

quam tamen verbo نفر, absolute posito, inesse. Ita apud Abulfedam, T. IV. p. 6. reperimus *fugiendi* potestatem in نفرت به فرسه (scil. من شيء), quod Belgice vertere possis: *zijn paard sloeg met hem aan het hollen.* Idem nobis offert *aversandi* notionem absolute positam, T. IV. p. 268. فنفر خاطر الملك الافضل بسبب ذلك, *Et abalienatus est animus al Maleki el Afdhali eam ob caussam*, nempe a Kaikauso. Pari ratione نفر de *hostibus invadendis* posuit Mohammedes, Cor. *Sur.* IV. v. 73 Hinck. (v. 69 Mar.) فانفروا ثبات او انفروا جميعا, *Aut catervatim incurrite aut omnes simul.* Item *Sur.* IX. v. 123 Hinck. (v. 124 Mar.) وما كان المومنون لينفروا كافة فلولا نفر من كل فرقة منهم طايفة, *Neque omnes Moslemos simul incurrere oportet: nisi enim ex singulis eorum agminibus pars tantum excurrerit* (bonum non erit).

(7) *Quibus rebus commotus al Motawakkel arcem Dimyathensem aedificari jussit.*] Duravit ista al Motawakkeli substructio ad annum usque 648 (Chr. 1250—1) ut testatur Abulfeda, A. M. T. IV. p. 518, qui muros Dimyathae, ab Emiris Aegyptiis post discessum S. Ludovici dirutos, eosdem fuisse dicit, quos iste Khalifa olim aedificaverat. Idem quoque, in hujus capitis fine, postquam de infausto successu expeditionis Ludovici exposuit, noster affirmat Makrizius.

(8) *Redierant — Graeci*] De duplici ista expeditione Graecorum nullam hucusque apud alios auctores mentionem reperi. Quod posteriorem incursionem accidisse dicit per turbas, quae post Cafouri Ikhschidici mortem, Aegyptum vexarunt, id breviter explicandum est. Nempe Cafourus iste, qui servus niger fuit, et ab Emiro Turcico Abou Becro Mohammede ibn Togdji (طغج), cognomine al Ikhschid (الاخشيد), hero suo, الاخشيدي appellatur, post illius obitum, Aegyptum rexit ut Atabecus, sive primarius minister, filiorum illius Anoudjouri et Alii, quorum alter alteri successit; deinde a mensis Moharremi die 26, anni 355 (Chr. 965—6), cum Khalifa Mothi lillah ipsum cum Ostadi, sive Magistri, titulo Aegypto, Syriae, item Meccae Medinaeque praefecit, solus has provincias rexit, usque ad obitum, de cujus tempore variae sunt sententiae. Makrizius MS. 276. p. 303. MS. 371. p. 520. et MS. 372. T. I. p. 654 eum decessisse affirmat, die 20 Djomadii prioris A. 357 (Chr. 967—8), a qua sententia haud multum discrepat Ibn Khalicanus, qui eum biennium et tres menses, demtis septem diebus, summum imperium tenuisse dicit, licet paullo ante mortem ejus

Digitized by Google

ejus referre videatur ad diem 17 Djomadae prioris A. 356. Si Makriziana sententia vera sit, incursio Graecorum accidit altero mense post obitum Cafouri, imperium tenente Ahmede ibn Ali ibn Ikhschid, cui, teste Makrizio, repugnabat cognatus al Hosein ibn Abdallah ibn Togdj. Haec autem contentio non minus hoc anno Graecis Aegypti invadendae, quam proximo sequente ejusdem occupandae Fathemidis, opportunitatem praebuit. Cf. Abulf. A. M. T. II. p. 468, qui de Abou Becro Mohammede al Ikhschido et Cafouro complura scitu digna refert, ibid. pag. 392. 400. 408. 434. 440 sqq. 490. Sed imprimis de istis principibus legendae sunt notae Freytagii ad *Selecta ex Hist. Halebi*, p. 129. n. 205. p. 140 sqq. no. 216, quem tamen miror ubique Alachschid vel Alachschids exarantem, cum Ibn Khalicanus, cujus auctoritatem ll. ll. sequitur, diserte nostram scribendi rationem Ikschid vel Ikschids tueatur: (cf. n. 700. Cod. Palm. T. II. p. 344. Leyd. T. II. p. 361). Idem docet Aboul Mahasenus, cujus monito jam obtemperaverat Guignesius, *Hist. des Huns*, T. III. p. 147. sqq. ubi res dynastiae Ikschiditarum multis exposuit, in eo imprimis reprehendendus, quod p. 154. Aegyptum, vivente et regnante Cafouro, a Fathemidis occupatam esse tradat.

(9) *Piscis ingens circa Dimyatham apparuit*] Licet piscis illius dimensio in majus aucta esse videatur, ipsa res tamen confirmatur aliis ejusdem naturae casibus, quos circa Nili ostia accidisse constat. Complurium ingentium belluarum, quae apud Dimyatham et Tennim a fluctibus marinis in litus ejectae fuerunt, meminit Makrizius, cujus testimonia excitavit Quatremère V. C. *Mémoires Géogr. et Hist. sur l'Égypte*, T. I. p. 322 sq. T. II. p. 493 et 495. Qualem vero belluam *asini marini* nomine designent Arabes, non constat, cum Demirius, Ibn Beithar, aliique Historiae Naturalis scriptores ne nomen quidem, nedum descriptionem aliquam animalis, nobis reliquerint.

(10) *Ventrem belluae camela onusta transire poterat*] Hic sensus esse videtur verborum Arabicorum تدخل من جوفها موسوقة فتفرغ وتخرج, *intrabat ventrem ejus onerata et pergebat et exibat.* Quod vocem موسوقة de *camela* onerata interpretati sumus, id his argumentis nixi fecimus. Vocabulum وسق est *onus frumenti, quantum jumento portari potest*, unde in Specie IV. ipsum verbum notat *oneravit camelum.* Quam significationem etiam in prima specie, cujus hic participium pass. habemus, obtinuisse docet Speciei VIII, ejusdem passivae, exemplum apud Meidanium prov. 276. p. 159. f. edit. Schult. وحملن واتّسقن, *ferunt*

 (ca-

Digitized by Google

(camelî) *et onerantur*, vel *onerari se sinunt.* Quin ipsum nostrum موسوقة alio loco usurpat Makrizius eodem sensu, at non de camelo tamen, sed de navi onerata, apud Sacyum, C. A. T. II. p 558. ومعه اربعة عشر موسوقة بضايع, *Et cum eo erant naves quatuordecim mercibus oneratae.* Si ergo, his de caussis, hoc quod conjecimus, probetur, ناقة subaudiendum erit.

(11) *Imperante Khalifa al Fayez* etc.] De illis, quae hic obiter tangit Makrizius, paullo accuratius referre juvat, quae tum alibi ab eodem auctore, tum ab Abulfeda et Ibn Khalicano traduntur, cum ejusmodi expositio ad hujus loci intelligentiam omnino necessaria esse videatur. Fathemidicae gentis igitur antepenultimus Khalifa fuerat Abou Mansour Ismaïl Dhaferus Billah. Hic voluptatibus lasciviaeque deditus cum Nasero filio Aboul Fadhli Abbasi ibn Aboul Fatah Sanhadjitae (الصنهاجي), ex regia stirpe Zeiridarum, sive Badisidarum, Africae Principum, oriundo, stuprum vel intulisset, vel inferre voluisset, ab eodem Nasro in domum patris Abbasi, tum temporis Veziri primarii, sive Sultani, invitatus et per insidias interfectus est. Pater Abbasus, qui illud suaserat, postridie, interemtis defuncti fratribus, Josepho et Gabriele, quos caedis fraternae insimulabat, filium Dhaferi quinquennem Aboul Kasemum Isam imperio ornat. eique titulum al Fayesi Binasrallah (*qui Dei auxilio vincit*) tribuit. Nec tamen diu imperium tenuit. Nam Khalifae interfecti soror et uxores, dolo intellecto, literas nigras, additis capillis suis, quos resecuerant, miserant ad Aboul Garaat al Thalayam ibn Rozzik (sic enim, teste Ibn Khalicano, pronuntiandum est, non Rezik), eum sibi vindicem et auxiliatorem advocantes. Hic patria Armenus olim in Aegyptum venerat, et hoc tempore praefectura urbis Thebaidis Moniat Bani Khasib ornatus erat. Vix autem feminarum regiarum preces ad eum pervenerant, cum, congregatis copiis adscitaque Arabum Nomadum turba, Kahiram movit, expulsisque Abbaso et Nasero, reipublicae regimen al Fayezi nomine suscepit, cognomen adeptus Al Malek al Saleh Fares al Moslemin Naseroddin (*Rex probus, eques Moslemorum, religionis adjutor*). Interim Al Abbasus et filius illius Naserus aliique huic factioni addicti, cum magna facultatum suarum parte, per solitudines in Syriam contenderunt, sed a Francis Ascalonensibus intercepti sunt. Periit in isto conflictu Abbasus, filius autem Naserus in potestatem hostium pervenit, qui ipsum paullo post, magna accepta pecuniae summa, flagitanti Thalayae ibn Rozzik Kahiram asportandum et necandum tradiderunt. Haec quidem sunt

quae

Digitized by Google

que de Abbasi et Naseri fuga fatisque apud Abulfedam leguntur, A. M. T. III. p. 538 ad A. 549 (Chr. 1154—5) quo vertente, haec omnia, quae narravimus, acciderunt, exposita etiam partim a Renaudoto, *Hist. patriarch. Alexandr.* p. 519 sq. partim a Willermo Tyrio, Lib. XVII. c. 9. Ibn Khalic. *in vita Dhaferi*, n. 98. T. I. p. 117. P. T. I. p. 142. L., *Aboul Garati Talayae*, n. 310. T. I. p. 368. P. T. I. p. 390 sq. L. et *al Fayezi*, n. 525. T. I. p. 643. sqq. P. T. II. p. 150 sqq. L., Nuweirio MS. 1939 (2), et Makrizio, *Descr. Aegypti*, MS. 276. p. 772. et MS. 372. T. III. p. 128, ex quibus Ibn Khalicanus, Nuweirius et Renaudotus secum invicem fere conspirant de Naseri exitu, quem Francos cepisse scribunt literis sororis Dhaferi excitatos, magnam auri vim facinoris premium pollicentibus, quas ipsa celeritatis caussa per tabellarium regium (البريد) miserat. Contra Willermus l. l. nobis tradit, istum Naserum (quem male Noseradinum, i. e. ناصر الدين, appellat) casu in potestatem Francorum venisse, deinceps Templarios, cum illum diu in vinculis habuissent, et literas jam Romanas edoctus, avidissime Christianus fieri cuperet, hominem Aegyptiis vendidisse, illum ad necem postulantibus. Utrum sit verius difficile dictu est. Naserum diu inter Francos versatum esse affirmat etiam Ibn Khalic. *in vita al Fayezi*, narrans Abbasum et Naserum fugam arripuisse decimo quarto Rebiae prioris A. 549, Naserum vero reductum fuisse Kahiram Rebiae prioris die 17. A. 550. Quod quomodo accidere potuerit, si operam dantibus et flagitantibus inimicis in Francorum manus inciderit, non satis perspicimus. Epitomator etiam Dzahabii MS. 1808 (428) tradens Francos Nasrum vendidisse Aegyptiis (وبعوا ابنه للمصريين) potius significare videtur Templarios hominem, qui forte in illorum potestatem venerat, postea, quo poterant, pretio, tradidisse, quam reddito captivo, eam pecuniam accepisse, quam per literas illas Dhaferi soror promisisset. Ab altera tamen parte verosimile non est, Francos istam per solitudines expeditionem fuisse suscepturos, nisi de adventu Abbasi, atque adeo de certa spe praedae potiundae certiores facti fuissent. Nec etiam illud omittendum, Willermum Archiepiscopum Tyrium non nimis favisse equitibus Hospitalariis et Templariis, ecclesiae subinde repugnantibus. Nec sane corruptissimus iste et scelestissimus Naser ibn Abbas, ut omnes eum depingunt, dignus erat, quem tamquam futurum Christianum tantopere celebraret Willermus, aut cujus Aegyptiis traditi caussa adeo acerbe de Templariis judicaret Wilkenius *Gesch. der Kreuzzüge*,

Digitized by Google

T. III. P. II. p. 39 sq. Quin potius laudandi videntur, quod orbem terrarum tanto monstro, quocum nulla foederis necessitudo ipsis intercedebat, liberarunt. Sed haec obiter. Nunc redeamus in viam, et quid al Thalayae ibn Rozzik ejusque successoribus acciderit videamus. Mansit igitur al Thalaya ibn Rozzik in ea dignitate, quam acceperat, sub al Fayezi etiam successore, al Adhedo ledinillah, qui A. 555 (Chr. 1160) ad imperium pervenit et filiam al Thalayae duxit uxorem. Ad postremum tamen cecidit Vezirus generi sui, omnem sibi potestatem ereptam esse haud ferentis, insidiis. Adhedus enim sicariis quibusdam, quos اولاد المراعي appellat Ibn Khallicanus, locum in palatio designaverat, in quo latentes, al Thalayam vel intrantem vel exeuntem adorirentur et de medio tollerent. Quae res tandem ipsis ex voto successit, die 19 mensis Ramadhani A. 556 (Chr. 1161). Cf. Ibn Khalic. in *vita al Thalayae*, aliosque auctores supra laudatos, quibus adde Abulfedam A. M. T. III. p. 580, qui hoc facinus Khalifae al Adhedi amitae tribuit et insignem in Ibn Rozziko laudat poëseos facultatem, cujus cum ipse, tum Reiskius not. hist. 416. et alii, specimina protulerunt. Sectae Schitarum Imamicorum fuit addictissimus, suumque erga Alidas studium non tantum in carminibus suis (quorum Diwanum, sive Anthologiam, in duas partes distinctam, viderat Ibn Khallicanus), sed etiam in libro quodam manifestaverat, *Fidei professio, qua refractarii confutantur* (الاعتماد في رد اهل العناد), inscripto. Moriens inter alia hoc imprimis doluisse fertur, quod Abou Schadjaüm Schawerum ibn Modjir (ابو شجاع شاور بن مجير) virum nobilissimum, qui ad Abdallam Saäditam patrem Halimae nutricis Pseudoprophetae genus referebat, Aegypto superiori in gentis suae detrimentum praefecisset. Nec sane vanus augur tanti mali fuit al Thalaya. Nam A. 558 (Chr. 1162—3) Schawer praefectura sua ab al Maleko al Adelo al Thalayae filio, qui patri in Veziratu successerat, ejectus, per deserta et Oases in boream proficiscitur, et subito cum copiis apud Taroucham (تروجة), tractus Alexandrini vicum, e solitudine emergens Kahiram tendit. Fugit inimici adventum al Adelus, et cum opibus ingentibus se ad Soleimanum vel, ut alii dicunt, Yakoubum ibn al Nis (النيص) Lakhmitam, in superioris Aegypti oppidum Atfih, (اطفيح) se recipit. At Yakoubus iste, sive Soleimanus, licet multa beneficia a Rozziki filiis accepisset, nihilominus Schawerum de al Adeli latebris certiorem fecit, qui hominem ad se perductum aliquamdiu in vinculis habuit et ad extremum interfe-

Digitized by Google

fecit. In hujus autem gentis casibus hoc singulare fuisse testatur Ibn Khalicanus, quod omnia, sive prospera, sive adversa, illis die 19 mensis acciderunt. Nam eo die et ad Veziratum evectus est al Thalaya, et interfectus, et translatus in monumentum, eodemque etiam tota ista familia imperio privata est. Neque vero diu potestate male parta gavisus est Schawerus. Quippe eodem anno 558 eum Veziratu exturbavit Aboul Aschbalus Dhergamus ibn Amer ibn Serar (ابو الاشبال ضرغام بن عامر بن سرار), cognominatus al Malek al Mansour Fares al Moslemin (*Rex victoriam adeptus, eques Moslemorum*), qui ad antiquissimam Regum Hirensium stirpem pertinuisse videtur, (nam al Mondari al Lakhmi appellatur), et huc usque نايب الباب (praefectus palatio?) fuerat. Redit tamen haud ita multo post in Aegyptum Schawerus, juvante Nouroddino Damasci rege, et deducente Asadoddino Schirkouho Saladini patruo. Tum vero Dhargamus, qui Thayum Shaweri filium, Kahirae relictum, occiderat, ultionem metuens, urbe excessit, sed mox interfectus est inter Kahiram et Fosthatham apud Meschhed, sive monumentum Al Saydah al Nafiseh (*dominae excellentissimae, sive Dominae Nafisae*), filiae Hasani, abneptis Khalifae Alii, ubi corpus illius capite spoliatum toto triduo a canibus laceratum, dein in tumulum juxta Birkat al fil (*piscinam elephantis*) illatum est. Hinc igitur incipit alter Veziratus Schaweri, de quo in textu loquitur Makrizius. Reliqua, quae Schawero acciderunt, donec A. 564 (Chr. 1168—9) Saladini, cum patruo Asadoddino Schirkouho tertia vice in Aegyptum profecti, insidiis caderet, de industria omittimus, in vulgus jam nota ex Bahaeddino de *Vita Saladini* p. 30—34, Abulfeda in *Excerptis a Schultensio editis* p. 3 sqq. sive A. M. T. III. p. 608 sqq., Willermo Tyrio L. XIX. c. 13—31. L. XX. c. 5—11. Quibus adde Ibn Khalic. in *vita Schaweri*, n. 284. T. I. p. 338. P. T. I. p. 366 sqq. L. et in *vita Schirkouhi*, n. 297. T. I. p. 349 sqq. P. T. I. p. 376. L., et e recentioribus Renaudotum *Hist. patriarch. Alexandr.* p. 532 sq., imprimis vero Wilkenium *Gesch. der Kreuzzüge*, T. III. P. II. Lib. IV. c. 2. passim. Sic igitur, quantum nobis ad seriem historiae percipiendam necessarium esse videbatur, Vezirorum Aegyptiorum successionem et gesta partim ex editis, partim ex ineditis scriptoribus, summatim exposuimus. Nunc denique videamus quid de duplici ista expeditione Francorum existimandum sit, quarum altera, nostro teste, sub Veziratu al Thalayae A. 550 (Chr. 1155—6), altera sub Schawero iterum Veziro acciderit. Ad priorem quod attinet, quam noster a

Lou-

Digitized by Google

Louhino (i. e. Guilelmo I.) filio Rogeri, Rege Siciliae, susceptam esse dicit, illius etiam meminit Dzahabii epitomator MS. 1808 (428), qui sub A. 550 sqq. haec refert: وجاءت الفرنج في البحر من صقلية الي مصر ليملكوها فهجموا علي تنيس فاستباحوها وردوا بالغنايم وهم رزيك علي مصالحة الفرنج علي مال فانكر ذلك الامراء, *Venerunt autem Franci per mare ex Sicilia in Aegyptum, illius occupandae gratia, Tennimque diripuerunt, et cum spoliis redierunt. Rozzikus quidem pacem cum Francis, data pecunia, componere cupiebat, at Emiri quominus hoc fieret, intercesserunt.* Inter scriptores occidentales neminem reperio, qui huc diserte respexerit, praeter Andream Dandulum in *Chronico Veneto*, edito a Muratorio inter *Scriptores Rerum Italicarum*, T. XII. p. 287. ubi in ipsis initiis Vitalis Michaëlis Secundi, ducis Veneti A. 1156 ad imperium evecti, haec accidisse narrat: *Guilielmus Rex Siciliae transfretans in Aegyptum, Tampnis civitatem diripuit, et revertens stolum Imperatoris Constantinopolitani incurrit, et licet quantitate navigii inferior esset, Graecorum tamen centum quinquaginta naves superavit et spoliavit.* Qua in re licet paullisper discesserit auctor a Makrizio, quo teste expeditio ista mense Augusto (is enim Djomadio posteriori hic accurate respondet) A. 1155 locum habuerit, nequaquam tamen dubitari poterit, quin de una eademque re apud ambos agatur. Quin imo ipsa illa auctoris Arabici Latinique discrepantia utriusque fidem luculentissime confirmat. Nam si mense Augusto A. 1155 in Aegyptum venerunt Siculi, ibique tam diu morati sunt ut Tennim, Raschidum et Alexandriam, urbes munitissimas, expugnarent; profecto non mirabimur illos, et propter temporis hiberni difficultatem, et propter minus perfectam ea aetate navigandi rationem, ante mensem Januarium in mare Jonium non rediisse, atque adeo conflictum cum classe Graecorum ad annum 1156 referendum esse. Vel sic tamen omnibus attentius consideratis, magnae hic difficultates oriuntur. Videmus enim apud Graecos Scriptores Nicetam Choniatam, *de rebus a Manuele Comneno gestis*, Lib. II. c. 7. (ubi editor Rogerium male cum filio Guilelmo confundit) et imprimis Cinnamum L. III. c. 12. 13. historiam narrari, illis, quae ex Chronico Andreae Dandull excitavimus, valde similem, nempe Constantinum Angelum a Graeco Imperatore cum navibus missum, incidisse in classem Siculam ex Aegypto redeuntem, et praeda onustam, eamque, quamvis navium numero Graecis longe superiorem, invasisse, sed mox ab hostibus captum esse. Ergo facile quisquam sibi persuadeat, eandem pugnam na-

vi-

Digitized by Google

valem, eandemque adeo expeditionem Aegyptiacam ab omnibus memorari, Graecosque, qui contra sexaginta naves Siculas (tot enim, teste Makrizio, fuerunt) pugnantes, centum et quinquaginta suarum amisissent, infamiae obliterandae caussa, majorem navium numerum Siculis, minorem suis, attribuisse. At plane evanescit falsa ista veri species, si Cinnamum accuratius inspicias, qui diserte testatur, haec haud ita multo post Rogeri mortem accidisse, secundum Romualdum Salerniensem (apud Murat. *Rerum Ital. Scr.* T. VII. p. 196) A. 1152, die 26 Februarii defuncti, quamvis alii A. 1153, alii A. 1154, eum decessisse tradant. Cf. Du Cangius in notis ad Cinnami l. l. Praeterea si Graeci scriptoris verba bene capio, ea occasione solus Constantinus Angelus, a reliquis desertus, cum sua navi in hostium venit potestatem. Quibus si accedat, Arabes alius etiam expeditionis, a Siculis adversus Tanim A. 548 (Chr. 1153—4) susceptae, mentionem facere (cf. Makriz. laud. a Quatremère *Mém. sur l'Egypte*, T. I. p. 325. Abulf. *A. M.* T. III. p. 534) hoc omnes facile mihi concessuros esse existimo, vero proximum videri, ut duae pugnae, diversis temporibus, inter Graecos et Siculos ex Aegypto redeuntes commissae sint, altera A. 1153 vel 1154, altera A. 1156. Cavendum est autem, ne quis testimonio Le Beauii nixus, pacem inter Manuelem et Guilelmum A. 1155 jam coaluisse, atque adeo ista, quae diximus, cum historiae fide pugnare contendat (*Hist. du Bas Empire*, T. XIX. p. 254—259). Quippe illa temporis definitio Viri Clarissimi conjectura nititur, cum auctores, quos laudat, Cinnamus, Nicetas, et Romualdus, annum non prodiderint, quo de pace inter Graecos Siculosque convenit. Quod vero prior illa expeditio, qua Constantinus Angelus a Siculis captus est, Anno Arabum 548 accidit, id nobis (ut hoc obiter moneam) inservire potest ad tempus mortis Rogeri Siciliae Regis accuratius definiendum. Cum enim annus iste incipiat die 28 Martii anni 1153, et desinat die 17 Martii 1154, ac rex Guilelmus statim post obitum patris legatos ad Manuelem misisse videatur, quibus infecto negotio redeuntibus, classis demum instructa sit, et Constantino Angelo duce exierit; ab altera parte satis tuto affirmari potest, Rogerum A. 1154 (ut nonnullis placuit) non obiisse. Nam etiamsi istam expeditionem Aegyptiacam exeunte Anno Hedjrae 548 accidisse statuas, at tantilla pars anni Christiani 1154 eo continetur, ut si vel ipsis Kalendis Januariis obierit Rogerus, parvus iste mensium numerus illa omnia, quae diximus, minime capiat. E contrario dies 26 Februarii A. 1152, quo Rogerium de-

Digitized by Google

decessisse affirmat Romualdus, nobis videtur esse justo remotior ab anni Arabici 548 initiis, quo bellum inter Graecos et Siculos recruduit. Ergo donec meliora edocear, illis omnino assentiar, qui ad A. 1153 referunt Rogeri decessum. Sed haec quidem hactenus; nunc extremo loco videamus de ista incursione navali Francorum Palaestinensium, quae, auctore nostro teste, ad idem tempus referenda est, quo Almerichus Rex Hierosolymitanus ultima vice in Aegyptum tendens, occupata et eversa Bilbeiso, ad Kahiram obsidendam pergebat, dum Schawerus, metuens ne Fosthatha ab hostibus occuparetur, illisque belli arx foret, urbem incendebat, quam per dies quatuor et quinquaginta continuos arsisse ferunt. Acciderunt ista A. 564 (Chr. 1168—9.) ut auctores testantur supra laudati, quorum tamen nemo invasionis illius navalis mentionem fecit praeter Will. Tyrium L. XX. c. 8, cujus verba, a Wilkenio plane neglecta, hic subjecimus: *Dum haec circa Cahere agunturr, ecce nostra, quam Rex de finibus nostris exiens maturare praecepit, classis, per mare ventis usa prosperis, applicuisse dicitur, per illius fluminis ostium, quod vulgo dicitur Carabes, ingressa. Civitatem antiquissimam supra illam fluminis ripam, Tapnim nomine, sitam, violenter occupant, quae statim nostris in direptionem data est et praedam. Dum ergo nostri per fluminis alveum ad Regem festinare contendunt, Aegyptii navibus suis alveum fluminis obsidentes, transitum negabant. Misit ergo rex Honfredum de Torono, constabulanium suum, ut illic cum lecta veniens militia, alteram saltem fluminis ripam, ut eis ex illa liber fieret transitus, violenter occuparet, quod satis expedite factum esset, nisi quod interim rumor de adventu Siraconis* (Schirkouhi) *consilium mutari compulit. Mandatum est ergo eis, ut ad mare descendentes, reditum maturarent ad propria: quod et factum est, unam tamen galeam imprudenter amiserunt.* Willermum Tyrium fortasse ante oculos habuit Marinus Sanutus in *Secretis fidelium Crucis* Lib. III. Part. VI. c. 23. ubi haec incondite et obscure de eadem expeditione retulit: *Interim Rex navigium per unum Nili ramum ad civitatem Tempnis navigare jusserat, et capta civitate versus Regem adscendebat.*

(12) *Tennitum*] De Tenniso notissima Aegypti inferioris urbe, cujus reliquiae hodieque in medio lacu Menzaleh cernuntur, multa scitu dignissima ex Makrizio aliisque auctoribus protulit Quatremère, *Mém. sur l'Egypte*, T. I. p. 284—334, imprimis inde a p. 304 sqq. Ibidem p. 299 sq. de Aschmoumo urbe, vel Aschmoumo Tanah, uti infra saepius appellatur, disputat V. C. illudque cognomen Ta-

Digitized by Google

Tanah ab oppido quodam in Aschmoumi vicinia sito repetitum esse affirmat. Idem Aschmoum, vel, ut alii vocant, Aschmoun, pleniore etiam insignitur appellatione Aschmoum al Romman, vel Schmoun-an-Erman, ut Aegyptii efferunt, quae nomina ex magna malorum punicorum iis in locis abundantia fluxerunt. Haec enim Arabes *Romman* (رمان), Aegyptii *Erman* vocant. Cf. Quatremère l. l. p. 495 sqq. et imprimis Champollion, *l'Égypte sous les Phar.* T. II. p. 122—129 et 152, qui hanc eandem urbem esse demonstrat, quam Graecis sub *Mendis* nomine cognitam fuisse novimus. Eandem Symon appellat Oliverius, *Hist. Damiat.* c. 35. p. 1430, ubi eam in insula Dimyathina collocat, et c. 37. p. 1435, ubi Makrizio nostro consentiens, Christianis e regione Mansourae castra habentibus, *fluvium Thaneos apud Symonem* ab Aegyptiis ponte junctum fuisse dicit. Jam illud nomen *Symon* ostendere videtur veterem formam Aegyptiam *Schmoun* medio aevo vulgari hominum usu adhuc tritam fuisse. Moniyyat Amrou, sive *Mansio Amrou*, (nam vocem Arabicam منية ex Aegyptio, vel potius Graeco μονὴ corruptam esse Champollionio l. l. p. 205 lubenter concedimus) Moniyyat Amrou igitur, quale sit oppidum, aut cujus Amroui memoriam servet, hucusque frustra quaesivimus.

(13) *Franci ad Dimyatham accesserunt*] Expeditionis illius A. 569. (Chr. 1169—70) adversus Dimyatham susceptae, quam hic paullo fusius describit Makrizius, Graecis potius quam Francis gloria tribuenda est. Nam ambae quidem gentes junctis viribus Dimyatham obsederunt; at multo majores tamen Graecorum copiae fuerunt, quorum classis a Makrizio in majus aucta, teste Will. Tyrio l. XX. c. 14 centum et quinquaginta navibus majoribus, sive *galeis*, sexaginta hippagogis, et decem vel duodecim dromonibus constabat, quae enumeratio Nicetae testimonio confirmari videtur L. V. c. 4 *de Gestis Manuelis.* Hic enim νῆας μακρὰς διακοσίας καὶ ἔτι πρὸς cum Magno Duce Andronico Contostephano missas esse testatur. E reliquis auctoribus Bahaedd. *de vita Salad.* p. 35 sq., Abulf. *A. M.* T. III. p. 626, Ibn al Atsir apud Michaudium, *Hist. des Crois.* T. VII. p. 431, Cinnamus L. VI. c. 9 et Jacobus de Vitriaco L. I. c. 48 de navium numero tacent: Marinus vero Sanutus, *Secr. Fid. Crucis*, L. III. P. VI. c. 2, et Andreas Dandulus, in *Chronico* apud Muratorium *Script. Rerum Ital.* T. XII. p. 291, de centum tantum galeis aliisque navibus a Graeco Imperatore missis loquuntur. Graecorum vero hac in re nullam mentionem faciunt Moslemici scriptores, uno tantum excepto Bahaeddino, quam negligentiam tanto magis miramur,

Digitized by Google

mur, quanto melius ipsis cognitam fuisse videmus Francorum Syriacorum ad Siculos legationem, auxilii flagitandi caussa missam, quae a nostro et Ibn Al Atsiro memorata, teste Willermo Tyrio l. l. c. 13, omni successu caruit.

(14) *Cum Gozzi — in Aegyptum pervenissent*] Locus est admodum memorabilis et ampliore commentatione dignissimus. Nempe Gozzos sive Gouzos in exercitu Schirkouhi, sive Saladini, fuisse, cum Aegyptum in potestatem suam redigeret, etiam in historia Sultanorum Ayoubidarum et Mamluchorum Makrizius tradiderat, ut ex illius libri excerpto novimus, edito apud Michaudium *Hist. des Crois.* T. VII. p. 713, ubi Aegyptiorum post captum a Saladino Schawerum fugientium bona et impedimenta in Gozzorum potestatem venisse narrantur. Quem locum cum minus accurate exposuisse videatur, sive Michaudius, sive Reinaudius, qui ipsi in vertendis et excerpendis auctoribus Arabicis operam suam obtulit, nobis necessitatem quamdam impositam esse videmus, de ista re paullo accuratius disserendi. Ad ista enim Makrizii verba haec notat Interpres: *Les Gozzes ou Uzzes s'étoient enrolés dans l'armée, qui mit Saladin sur le trone d'Egypte*, deinde provocat ad p. 274, ubi haec in nota leguntur: *Les Turcomans originaires des pays situés au-delà de l'Oxus, pénétrèrent dans l'Asie occidentale, vers l'an* 434 (1024 *de J. C.*) *à la suite du mouvement des tribus commandées par les enfans de Seldjouk. D'abord uniquement occupés de courses et de pillages, ils finirent par s'établir en Syrie, où ils vivaient avec leurs troupeaux sous des tentes. — Ils formaient toujours la meilleure partie des armées Musulmanes de cette époque, sous le nom de Gozzes, de Turkomans etc.* Ex Reinaudii igitur, sive Michaudii sententia, Gozzorum nomine significantur Turcomanni Nomades, per Syriam vagantes et a Seldjukidarum tribubus diversi. Nobis vero nomen illud multo latius patere et Seldjukidas etiam, quin universam omnino Turcarum sive Scytharum gentem, complecti videtur. Nec Gozzi isti, qui per Syriam Asiamque Minorem aliasque regiones cum gregibus oberrabant, a reliquis Turcis, qui Asiam occidentalem universam obtinebant, et certis sedibus se addixerant, aut nomine aut origine, sed vitae tantum genere differebant, quemadmodum Arabes nomades ab urbanis differunt. Omnes istae gentes communem Gozzorum appellationem traxerunt ab Ougoz Khano (اوغز خان). Nam اوغز (*Ougoz*) et غز (*Goz*) non magis discrepant, quam اوروس (*Ourous*) et روس (*Rous*), quae duo Russicae gentis nomina sunt. [Hunc Ougoz Khanum scilicet Karakhani filium (de quo vide Herbelotium *in voce*, et De Guignes *Hist. des Huns*, T. I. P. II. p. 9 sqq.

sum

Digitized by Google

ata ex Aboul Gazii Behadour Khani Historia Genealogica Tatarorum, P. II. c. 2. p. 33 — 62 *Gall. vers.* derivantem), hunc Ougozkhanum igitur omnium Turcarum parentem et auctorem fuisse, atque adeo Seldjukidis originem dedisse, veterum traditionum fides luculentissime demonstrat. Nam licet fatendum sit traditiones istas, et propter summam antiquitatem, et propter posterorum negligentiam, minus integras ad nostram notitiam pervenisse, et multis fabellis fuisse auctas et corruptas, ad Ougozkhanum tamen omnes unanimi consensu gentis Turcicae in varias familias divisionem referunt. Hunc gentem suam in tribus viginti quatuor distribuisse testatur Mirkhondius, eidemque ab altera parte viginti quatuor nepotes totidem tribuum auctores ex sex filiis prognatos tribuit, quod inter alios etiam facit auctor libri Turcici, تاريخ سلجوق inscripti (MS. Leyd. 1831 (419)), qui de Ougozkhano ejusque posteris symbolisque, quibus a se invicem distinguebantur, multa scitu digna retulit, atque adeo antiquitatem traditionum, nisi omnium, at nonnullarum saltem, quae de Ougozkhano feruntur, suo testimonio egregie confirmavit. Nam Ougozkhanum morti vicinum multa filiis praecepta dedisse, et inter alia noto illo sagittarum symbolo, quae in fasciculum collectae rumpi nequeant, singulae nullo negotio frangantur, ad concordiam colendam incitavisse narrat. Quod idem cum de Sciluro Scytharum Rege Plutarchus referat *de garrul.* p. 511. C., nec facile admitti possit istam rem a Graecis ad Tataros manavisse, prope certi esse possumus, jam circa Christi nati tempora, Ougozkhani Regis vetustissimi famam apud Scythas viguisse. Idem auctor Turcicam Seldjukidarum gentem aperte ex Ougozi stirpe deducit: quamobrem profecto nemini mirum videbitur, adeo frequentem Gozzorum mentionem fieri a scriptoribus Orientalibus, qui de Seldjukidarum historia scripserunt, in his ab Abulpharagio, sive Bar Hebraeo in *Chron. Syr.* p. 229 sqq., qui A. 1347 Seleucidarum, sive 1036 aerae Christianae, gentem Hunnorum i. e. Turcarum, qui Gouzaei (غزية) appellabantur, cum Emiris Seldjukidis in Asiam erupisse dicit. Eorundem Gouzaeorum sive Gozzorum etiam in sqq. saepissime memoriam injicit, ubi de Seldjukidis agi certissimum est. Sic v. g p. 234. Gouzaei a Masoudo Sultano Gaznevidico juxta Merou al Roudum fugati esse, et cum Togrul Bego et Djadjri Bego Seldjukidis, ducibus suis, in desertum se recepisse dicuntur. Pari ratione idem in *Chronico Arabico*, sive *Hist. Dynast.* p. 337, narrat Yaminoddaulam Gaznevidam in fugam vertisse Turcas Gozzos, Arslani ibn Seldjuki socios. E cujus rei ob-

Digitized by Google

servatione facile corrigi poterit locus corruptus Abulfedae *A. M.* T. III. p. 106, ubi de Arslani Seldjukidae sociis in Aderbeidjanam profectis dicitur: وبقي التركُ العرية هنالك اسمهم التركُ العرية وبذلك سمي كل جماعتهم male de *Turcis nudis et macris* intellexit. Lege الغزية et verte: *ibique nomen superstes mansit Turcarum Gozzorum, eo enim titulo omnis eorum multitudo appellabatur.* Quam emendationem praeterea confirmare potest Elmacinus p. 270, exscriptus etiam a Guignesio *Hist. des Huns*, T. II. P. I. p. 190, at vix tamen in omnibus cum Abulfeda conciliandus. Si alium etiam locum requiris, qui Gozzos a Seldjukidis haud diversos fuisse demonstret, inspice eundem Abulfedam l. l. p. 146, ubi copiae Togrul Begi Bagdadi versantis Gozzi appellantur. Cum vero illud Gozzorum nomen, quemadmodum supra diximus, ad universam Turcarum gentem pertinuisse videatur, jam facile perspicimus, quomodo fieri potuerit ut Sultanus Sandjar, Gozzorum sive Seldjukorum imperator, cum aliis Gozzis, ultra Oxum habitantibus, et genere ad eum nihil pertinentibus, bellum gereret. Cf. Abulf. *A. M.* T. III. p. 528, coll. Bar Hebraeo p. 349, Herb. v. *Sangiar* et de Guignes l. l. T. II. P. I. p. 257. Illius appellationis usum quam latissime patentem cernimus etiam in duobus aliis exemplis, altero *Continuatoris Bar Hebr.* in *N. Repert. fur Bibl. und Morgenl. Litt.* T. I. p. 25 ed. Paulus), ubi Timur appellatur ܓܙܐ, altero Poëtae Arabis Nikoula, qui in carmine edito Arabice et Gallice in *Décade Egypt.* N. 3. p. 91 f. et p. 95 m. variam servorum Turcicorum colluviem, quos vulgo Mamluchos appellant, الغز nominavit. Cf. *Mémoires sur l'Egypte publiés pendant les campagnes du Général Bonaparte*, P. I. p. 125, 127. Ex eadem quoque caussa explicandum est, quod non in Asia tantum, sed in Europa etiam Gozzorum, sive, ut a Byzantinis scriptoribus appellantur, Uzorum (Οὔζων) nomen adeo celebratum fuerit. Nam eodem fere tempore, quo Gozzi, ducibus Togrul Bego et Alp Arslano Seldjukidis, Asiam Occidentalem occupabant, ingens Uzorum multitudo Istrum transiit, Anno circiter 1065, Graecisque fugatis captisque ducibus Nicephoro Botoniata et Basilio Apocapa, Macedoniam Graeciamque vastavit. Cf. Zonaras, T. II. L. XVIII. p. 278 sq., Scylitzes p. 815 sq., Glycas p. 325, Le Beau *Hist. du Bas Emp.* T. XVII. p. 210 sqq. Nec dubito quin ista Gozzorum appellatio latius etiam patuisset, atque adeo vera illius ratio omnibus manifestior evasisset, nisi Turcae saepius, deserto gentili nomine, singularum tribuum, ad quas pertinebant, titulis se designare maluissent.

Digitized by Google

(15) *A terra et latere fluminis*] Arab. برّا وبحرا, *terra marique.* Sed apertum est hic بحر non de mari, sed de Nilo, intelligendum esse, qui Dimyathae moenia alluebat, brevi terrarum intervallo a mari remotae. Nam solenne est Arabibus magna flumina et Nilum imprimis *mare* appellare. Quae consuetudo necessitatem illis imposuit *mare* et *flumen* peculiari quodam epitheto distinguendi, et hoc simpliciter البحر, illud البحر الملح, vel المالح, sive *mare salsum*, appellandi, cujus loquendi formae a Sacyo illustratae *Chr. Arab.* T. II. p. 523, *Rélat. de l'Egypte*, p. 7, 169, 396 et *Not. et Extr. des MS.* T. I. p. 169, infra nobis exemplum offeret textus Arabicus. Hebraeos maris appellationem pariter ad magnos fluvios transtulisse notum est ex Jes. XIX. 5. Nahum. III. 8 ubi de Nilo, et Jerem. LI. 36, ubi de Euphrate usurpatur; quo spectare etiam videtur observatio Philostrati *de Vita Apollonii* Lib. I. c. 20. p. 25, de Mesopotamiae incolis referentis, illos ἐπὶ θάλαττάν τε καταβαίνειν φάσκειν ὅτ' ἐπὶ τοὺς ποταμοὺς βαδίζοιεν. Eandem vero loquendi rationem etiam Syris haud ignotam fuisse nemo, quod sciam, hucusque animadvertit, licet voces ܒܪܐ ܘܒܚܪܐ prorsus eodem usu reperiantur apud Bar Hebraeum p. 150, quo apud nostrum برا وبحرا. Verba Syriaci auctoris haec sunt: ܘܗܘ ܒܪܗ ܕܬܗܪܝ ܒܪܝܚ ܢܝܣܢ ܡܨܘܪܐ (l. ܡܫܘܬܐ) ܕܐܬܪܐ ܕܒܪܐ ܘܒܚܪܐ ܡܗܠܟ ܠܗ, *Filius Thaheri vero mense Nisane obsidione cinxit Fosthatham, omnesque vias, quibus terra marique* (i. e. flumine) *commeatus advehebatur, interclusit.* Accuratius etiam nostri auctoris verbis respondet alterum exemplum, ubi de ipsa Dimyatha sermo est, p. 459. ܘܡܨܝܢܝܢ ܠܡܩܛܠܗ ܠܗ ܒܪܐ ܘܒܚܪܐ, *Et oppugnare coeperunt illam terra marique.* Cum ergo non apud solos Aegyptios, sed apud alios etiam, vox *mare* de *flumine* usurpata fuerit, mirum perfecto non est, etiam phrasin البحر المالح apud auctores, quibus nihil omnino cum Aegypto negotii fuit, reperiri. Sic inter alios eadem utitur Geographus Nubiensis p. 134 initio فاما مدينة صيدا فهي على ساحل البحر المالح, *Quod attinet ad urbem Sidonem, haec in litore maris salsi sita est.*

(16) *Takyoddinum Omarum*] Plenum viri nomen imprimis Salahoddino cari, fuit Al Malek al Modhaffer Takyoddin Abou Saïd Omar ibn Nouroddaulat Schahinschah ibn Ayoub. Vitam ejus descripsit inter alios Ibn Khalicanus n. 512 (Cod. Palm. T. I. p. 619 sqq. Leyd. T. I. p. 135), qui magnis eum laudibus ornat, ut fortitudine et beneficentia clarum. Nam pauperibus non tantum doctis-

Digitized by Google

ctisque viris multa liberalitatis suae specimina praebuit, sed etiam in studiosorum gratiam plura collegia condidit, unum Kahirae, duo, quorum alterum Malekitis, alterum Hanefitis destinaverat, Fayoumi, quam urbem cum circumjacentibus agris in feudum ipsi Salahoddinus concesserat, quartum Edessae, quo tempore regiones Orientales rexit, extremis ante decessum annis. Quippe olim patrui sui Salahoddini fuerat in Aegypto vicarius ab A. 579 (Chr. 1183—4) ad A. 582 (Chr. 1186—7); dein Hamatham aliasque urbes regundas accepit, quibus A. 587 (Chr. 1191—2) Edessa, Samosata et Maussala accesserunt, quas eo usque tenuerat Zeinoddinus Yousefus Arbelae dominus. Sed haud ita multo post, vertente anno 587 (Chr. 1191—2) obiit Takyoddinus, triste sui desiderium omnibus, imprimis vero Salahoddino, reliquens. Cf. praeter ipsius Takyoddini abnepotem Abulfedam *A. M.* T. IV. 60, 70, 72, 108, 112, Bar Hebraeum in *Chron. Syr.* p. 419 sq. et Bahaeddinum *V. S.* p. 21 et 212. Illius Emiri Schahaboddini al Khazemii, vel al Kharemii, qui una cum Takyoddino Francis obstitit, nec verum nomen, nec memoriam ullam apud alios scriptores reperio.

(17) *Quod cum ad Francos — allatum esset*] Quod Francos metu Nouroddini Palaestinam invadentis obsidionem Dimyathae solvisse narrat Makrizius, in eo sibi consentientem habet Ibn Al Atsirum l. l. at dissentientes Willermum Tyrium, Cinnamum et Nicetam, e quibus Willermus infaustum expeditionis exitum Christianorum torpori et negligentiae adscribit. Hos enim si statim rem aggressi forent, urbem procul dubio fuisse occupaturos, nunc autem moram trahentes occasionem praebuisse Aegyptiis illam praesidiis, armis et commeatu communiendi. Quo cum hoc accederet, quod intolerabili fame vexarentur, ad extremum in dies auctis hostium viribus, occultis conditionibus pacem cum Moslemis factam esse, operam dante Zevelino (?) quodam, et obsessores annonae caritate sublevatos in suas quosque regiones discessisse. Cinnamus autem et Nicetas omnem rei culpam in Amalrichi tergiversationem conferunt, quam imprimis Nicetas longa oratione reprehendit. Nec sane Franci hac in re omni culpa vacasse videntur. Nam etiamsi admittamus Graecum scriptorem nimis invidiose declamitasse de impedimentis in ipsa obsidione a Rege objectis, deque perfidia, qua Graecos in moenia ruentes, deditionis specie ab hostibus promissae, revocarit; et nihilominus neminem, qui Willermum cum Niceta comparaverit, hoc negaturum existimo, Amalrichum et praecipuam caussam fuisse inopiae, quae Graecos eo

Digitized by Google

eo bello vexavit, et nihil omnino ad sociorum suorum necessitatem sublevandam contulisse. Posterius satis ipse affirmat Willermus; prius ex temporum notis, quas ambo scriptores afferunt, manifesto intelligitur. Quippe classis Graecorum die 10 Julii exierat Meliboto, haud procul Constantinopoli in Asiae litore, accepto inde a Kalendis Augusti in tres menses commeatu. Inde prospera navigatione, ventisque faventibus Cyprum pervenit, quo ergo jam ipsis Augusti initiis Graecos appulisse verosimile est. At nihilominus, licet jam ante Magni Ducis Andronici classisque imperatoriae ex Propontide discessum, Theodorus Maurozumas cum sexaginta triremibus praemissus fuisset, qui Amalrichum de auxiliorum adventu certiorem faceret, Andronicus tamen cum Cyprum venisset, nihil paratum Regemque adhuc moras nectentem reperit, quem dum per nuntios percontatur, utrum ipse Cyprum an se Hierosolymas venire malit, vanis legationibus tempus consumtum est usque ad Septembris exitum, quo Andronicus in Palaestinam venisse videtur. Haec Nicetas, quocum satis bene convenit Willermo Tyrio, classem Graecorum circa finem Septembris portum Tyrensem ingressam esse tradenti, cujus narratio ne tum quidem moris suis finem fecisse Regem luculenter ostendit. Nam eo teste, Idibus demum Octobris exercitus Francorum congregatus est apud Ascalonem, et postridie (vel ut illius verbis utar) *septimo decimo Kal. Septembris* (l. *Novembris*) per desertum in Aegyptum iter instituit, pervenitque nono die Pharameam, sive Faramam; dein transmissis Nili ostiis, bidui itinere Dimyatham, ad quam sexto, ut Willermus ait, vel potius, nisi illos in deserta Faramae urbe unum diem exegisse putes, septimo Kal. Novembris castra posuerunt, paucis ante diebus, quam commeatus in trimestre spatium classiariis suis ab Imp. Cpolitano concessus finem accepisset. Hinc mox insecuta fames Graecorum castra vexavit, et partim Amalrichi mora et tergiversatione, partim Manuelis Imperatoris sive parsimonia, sive negligentia, exercitus sui necessitatibus haud satis promte et largiter subvenientis, Aegyptiaca ista expeditio omni successu caruit.

(18) *Die vigesimo quinto Rabiae prioris*] Accuratior ista temporis designatio ad ipsius Makrizii narrationem sive emendandam, sive explicandam, adhibenda est. Nempe ab initio dixerat Francos Dimyatham venisse Rabia priore, bellum vero durasse dies quinque et quinquaginta. At paullo post mense Safaro idem accidisse scribit, idque procul dubio verius. Nam si a die vigesimo quinto Rabiae dies

Digitized by Google

quinquaginta quinque retrocedas, ad ipsum pervenies Safari initium, sive potius ad finem Moharremi extremum. Quodsi diem solutae obsidionis a Makrizio designatum cum temporum nota componamus, quam nobis Willermus Tyrius reliquit, admirabilem plane hic reperiemus amborum auctorum inter se consensum. Annus enim Hedjrae 565 incipit die vigesimo quarto Septembris Anni Christiani 1169, ex quo intelligitur diem vigesimum quintum Rabiae prioris, qui est Anni Moslemici octogesimus quartus, incidere in decimum sextum Decembris, unde si dies deducentur quinquaginta quinque, perveniemus ad diem vigesimum tertium Octobris, quae temporis designatio primo obtutu quatriduo differre videtur ab illa Willermi Tyrii, Francis sexto demum Kal. Novembris castra ad Dimyatham posuisse affirmantis. At si cogitas, Makrizio teste, non *obsidionem*, sed *bellum*, tantum temporis spatium implevisse, et si integros dies quinquaginta quinque in obsidione consumtos esse statuisset, illius initium non mense Safaro, sed exeunte Moharremo, fuisse collocaturum, hoc qualecunque amborum auctorum discrimen facili negotio tollitur. Nam ut ex nota proxima superiore apparuit, Faramam sive Pelusium jam pervenerat Amalrichus die vigesimo quarto Octobris, sive octavo Kal. Novembris, classemque Graecorum, Francos socios suos exspectantem, ibi jam appulisse repererat, quamobrem in belli initiis definiendis, aut admodum exigua, aut nulla plane discrepantia, inter Willermum et Makrizium esse videtur, quod de ejusdem fine pari jure affirmari posse censemus. Quippe Willermo teste, Amalrichus cum Francorum exercitu Ascalonem venit die vigesimo Decembris, (duodecimo Cal. Jan.) atque adeo quinto, postquam, Makrizii auctoritate, obsidionem solutam fuisse novimus. Quam temporis in itinere consumti brevitatem minus mirabimur, si illos, uti Willermus ait, *maturatis gressibus* in Syriam rediisse reputemus: licet fateamur nobis verosimilius esse videri Sanuti testimonium, Francos in Vigilia S. Thomae i. e. die Decembris 21, Ascalonem reversos esse tradentis, atque adeo, illo auctore praeeunte, forte *duodecimo* in *undecimo* mutari oportere. Caeterum Nicetas non tantam ob temporum rationes accurate servatas laudem meruit, quantam reliqui, de quibus diximus, scriptores; cum ab altera parte spatium temporis in obsidione exactum ultra diem quinquagesimum producat, ab altera die Decembris quarto eam solutam esse testetur: quo admisso, obsidionis initium in eam partem Octobris inciderit, qua nec Rex Hierosolymis, nec Graeca classis portu Acconensi adhuc excesserat.

(19) *Milites collocati fuerunt in duabus turribus*] Quae hic leguntur admodum me-

Digitized by Google

memorabilia sunt, cum ex illis manifesto constet, non unam, ut vulgo existimant, traduntque auctores Christiani expeditionis sacrae sextae tantum non omnes, fuisse turrim, in medio Nilo sitam, et catenis cum urbe conjunctam, sed duas, de quarum tamen situ ex nostri auctoris verbis haud satis certo judicare possumus. Accuratius rem definiunt Kazwinius in Libro آثار البلاد واخبار العباد MS. 512. p. 197, et qui eum exscripsisse videtur, auctor Lex. ci. Geographici v. دمياط. Kazwinii verba haec sunt: وهي من ثغور الاسلام عندها يصيب ماء النيل في البحر وعرض النيل هناك نحو ماية ذراع وعليه من جانبيه برجان بينها سلسلة حديد عليها حرس لا يدخل مركب في البحر ولا يخرج الا باذن *Haec est una ex claustris Islamismi, juxta quam aqua Nili se in mare exonerat. Fluminis latitudo ibi est centum circiter cubitorum. Ab utroque latere ipsi turris adjacet, ferrea catena conjuncta, militum statione custodiam agente, ne navis aut flumen intret aut eo exeat, nisi venia concessa.* Haec Kazwinius, cui inter Christianos soli, quod sciam, diserte adstipulantur Willermus Tyrius Lib. XX. c. 16, et Joannes a Leydis in *Chron. Belg.* Lib. XVIII. c. 20; e quibus Willermus, postquam de adventu Graecorum et Francorum ad Dimyatham, deque castris inter urbem et mare, atque adeo ad orientem Nili positis, retulisset, haec subjungit: *Porro in ulteriore fluminis ripa erat turris singulariter erecta, armatis sufficienter ad sui praesidium munita. Ab hac usque ad civitatem catena protendebatur ferrea, quae nostris maximum dabat impedimentum, ita ut ad superiora nullus omnino pateret transitus. Ad eos vero de superioribus a Babylonia et Cahere libere et absque impedimento poterant naves quaelibet introire.* Quod testimonium Jo. a Leydis his verbis confirmat: *de utraque vero parte maritimi portus castra constituta prominebant, quae cunctis introeundi aditum securum navigantibus denegabant.* Ab altera parte haud infitiamur Moslemos etiam scriptores turris in medio Nilo sitae mentionem facere; e quibus Nuweirius, in relatione expeditionis Dimyathensis A. 1218 a Francis susceptae, diserte testatur, Francos occupasse turrim catenae inter Dimyatham et continentem Occidentalem in medio flumine sitam (ملك الفرنج برج السلسلة وهي بين الدمياط والبر الغربي في وسط النيل). Nec diversam rationem sequitur Ibn al Atsir apud Michaudium, *Hist. des Crois.* T. VII. p. 537, addens istam turrim ibidem loci aedificatam esse, ne scilicet naves ex mari medio venientes, adverso flumine in interiorem Aegyptum penetrare possent.

Digitized by Google

sent. Quod quomodo tamen ista ratione impediri potuerit, non intelligimus, cum inter turrim et litus occidentale hostibus Nilum adscendere cupientibus vacuum adhuc spatium relinqueretur. Nec ego sane illius difficultatis amovendae ullam viam nobis relictam esse existimo, nisi ut omnes, quotquot belli illius sacri, apud Dimyatham A. 1218 et 1219 gesti, historiam memoriae prodiderunt, intolerabilis negligentiae atque oscitantiae incusemus: cum alii, in quibus noster omnino censendus est, locum, ubi castella illa sita essent, haud satis accurate definiverint, alii turris in medio Nilo sitae, alii propugnaculorum in utroque Nili latere positorum, nullus et horum et illius simul mentionem fecerit. Equidem ex scriptorum inter se comparatione et ipsa rei natura de ista munitione sic judicandum arbitror. Aegyptiorum hoc consilium fuisse apparet, ut et flumen hostibus clauderent, Dimyathamque munirent et simul, uti recte Willermus Tyrius observat, navibus Kahira venientibus liberum ad urbem accessum relinquerent. Haec autem omnia assequi non poterant, nisi catenam per transversum Nilum tenderent, non, uti multos accepisse video, ante mediam urbem ad fluminis latus occidentale in longitudinem protensam (sic enim aliqua pars urbis ab hostium impetu haud satis tuta fuisset, nec amicis navibus patuisset) sed ad extremum illius limitem septemtrionalem. Ergo cum Dimyatha validissimis muris turribusque cincta esset, ad eam turrim, quae septentrionalem angulum muri et fluminis occupabat, catenam alligarunt. Quod propugnaculum in ipsa urbe situm diserte memorat Godefr. Mon. p. 388. *Quae* (turris Nili) *caput unum catenae continebat, reliquum turris una civitatis ad claudendum fluvium.* Turrim Soltani appellat Vincent. Bellovac. L. XXXI. c. 57. *In medio Nili, ex opposita turris Soltani, est sita turris fortis et alta, a cujus pede ducitur ad turrim Soldani catena ferrea.* Huic ex adverso respondebat alia turris in ripa occidentali, quam ante omnia Franci occuparunt, licet scriptores nullam illius rei mentionem fecerint. Cum tamen intervallum majus esse videretur, quam ut catena, suo ipsamet pondere depressa, firmiter tendi, fluviusque illius ope tuto claudi posset, tertiam turrim in medio flumine exstruxerunt, quam duae catenae, hinc occidentali, illinc orientali ripae, conjungebant. Quod si quis roget, quae tandem caussa Christianos compulerit, ut, occupata turri occidentali, alteraque catena rupta, prius mediam quoque arcem expugnandam esse existimarent, quam naves traducere conarentur, hanc etiam difficultatem nullo negotio tollemus. Nempe ipsam loci naturam, si-

Digitized by Google

situmque parvae insulae, in qua propugnaculum illud stetit, compulisse Aegyptios ut turrim illam propius occidentali quam orientali ripae admoverent, atque adeo exiguum admodum spatium, et sive angustiarum, sive vadorum caussa, navigiis minime tutum, inter arcem et ripam occidentalem relictum esse, ex pluribus indiciis efficitur. Primum hoc est, quod oppugnationem turris describens Oliver. Scholast. Hist. Dam. C. IX. p. 1404, de machina ad turrim adverso flumine tracta diserte refert: *illam ad latus occidentale non potuisse converti, sed adscendendo directe ad plagam aquilonarem fuisse applicatam.* Alterum argumentum ex eo repetendum est, quod etiam post turrim captam, magno periculo per medias hastas et spicula lapidesque et ignem inter civitatem et arcem, quam inter eandem et ripam occidentalem navigiis sursum adscendere maluerunt. Luculentissimum denique de vero situ turris Niloticae testimonium nobis offert anonymus Willermi Tyrii Continuator, apud Martennium et Durandum *Veter. Script. et Monum. Ampliss. collect.* T. V. p. 682 sq. *Là furent bien un an, que onques ne porent rien faire à Damiete, fors tant qu'il pristrent une tor, qui est pres de la rive du flun* (i. e. fleuve), *là où il éteient logiés.* Quodsi quis nobis objiciat, quid igitur necessarium fuerit spatium adeo angustum navibusque impervium munitione in ripa occidentali erecta et catena claudere; ita respondendum esse censemus. Hunc alveum, licet propter vada et angustias periculo et molestia non caruerit, atque adeo recipiendae magnae illi machinae, qua turris oppugnaretur, minus idoneus fuerit, navigiis traducendis tamen minime ineptum fuisse. Cujus rei testem locupletissimum excitare possumus Godefridum Monachum haec p. 388 referentem: *Sed praeter spem nostram et adversariorum timorem, per partem alvei quae est inter turrim et terram, versus castra militiae Christianae, galeidae sursum ductae sunt, licet turris defensores jaculis et lapidibus transitum impedire niterentur.* Qui locus, si vel nullus alius exstaret, solus sufficeret ad redarguendum errorem Viri Doctissimi van Oosten de Bruyn, qui in Hist. Harlemensi, Belgico sermone conscripta T. I. p. 37, insulam turris aperte cum insula Deltae confudit, turrimque collocavit in Deltae quodam angulo, quem e regione Dimyathae in Nilum excurrisse fingit. Porro digna sunt Godefridi verba, quae comparentur cum narratione Oliverii C. VIII. p. 1402 sq. Licet enim is de navibus, inter ripam occidentalem pontemque traductis, nihil diserte referat, haud equidem scio tamen an huc non pertineant sequentia, quae apud Oliverium eodem plane

Digitized by Google

loco leguntur, quo verba superius laudata apud illius exscriptorem et epitomatorem Godefridum. *Turris*, inquit, *in medio fluminis sita capienda fuit ante transitum ipsius. Frisones tamen impatientes morae transeuntes Nilum, jumenta Sarracenorum tulerunt, et cupientes in ulteriori ripa castrametari, stabant pugnantes contra Sarracenos, qui obviam de civitate processerunt. Revocati sunt per obedientiam, quia non videbatur principibus expedire, quod turris paganis repleta post tergam relinqueretur.* Jam si cogites haec vix de transitu Nili infra Dimyatham intelligi posse, cum neque turris Nilotica sic a tergo Christianorum relicta fuisset, nec quidquam a consilio Francorum illam expeditionem suscipientium fuisse videatur alienius, quam ut inter urbem, Nilum, lacum Menzaleh et mare castra ponerent (cf. infra n. 30): hoc igitur, si cogites, Frisones non ante transitum tentasse, quam naves inter turrim et ripam occidentalem traduxissent, adeoque non infra Dimyatham, sed supra urbem, Nilum trajecisse existimabis, antequam al Malekus al Kamelus ripam orientalem munimentis firmasset. Corroborat quodam modo hanc opinionem locus Oliverii, nota proxime sequenti ex parte producendus, quo navis quaedam Teutonicorum et Frisonum, inter turrim a Christianis obsessam et urbem collocata, *a bellatoribus civitatis jaculis et igne Graeco impetita et tandem incensa fuisse* dicitur; quod quomodo fieri potuerit, non intelligimus, nisi navis illa e regione civitatis atque adeo ab austro catenae et turris stationem habuerit. Sed haec obiter, redeamus ad illa, quae de turribus in utroque Nili litore positis, superius animadvertimus. Quae licet nobis admodum verosimilia, ne dicam certissima, esse videantur, cavendum tamen est, ne quis tueri velit Niebuhrii testimonio in Itinerario T. I. p. 66 *edit. German.*, qui cum in hodierna urbe Dimyatha turrim reperisset, in ipsa Nili ripa, aliusque ultra flumen e regione sitae fundamenta agnovisset, hunc scilicet locum esse putabat, quo Nilus celebri illa catena clausus fuisset. Quae cum scriberet, immemor profecto erat Vir Doctiss. discriminis inter Dimyatham antiquam et novam, quae, diruta demum veteri, aedificata fuit et a mari est paullo remotior. Ex parte tamen verum vidisse Niebuhrium, et apud novam etiam urbem turribus in utraque ripa positis ex catena Nilum clausisse Aegyptios, verosimile est, eamque opinionem confirmat Khalili Dhaheri, scriptoris medio seculo Hedjrae nono clari, auctoritas, qui licet duo secula post dirutam veterem Dimyatham vixerit, turres illas duas, catena junctas disserte memorat (apud *Sacyum Chrestom. Arabe*, T. I.

p.

Digitized by Google

p. 225. II. p. 296). Quod servili veterum, quos forte exscripserat, imitatione fecisse Khalilum nequaquam existimamus, cum ipse Aegyptius fuerit, summosque in republica honores gesserit, neque adeo ignorare potuerit quas munitiones Dimyatha suo tempore haberet. Porro eodem, quem laudavimus, loco Niebuhrius latitudinem Nili, ante novam Dimyatham, centum pedes haud multum superare asserit, quod licet quodammodo confirmare videatur Kazwinensis testimonium, ante veterem Dimyatham flumen centum circiter cubitos latum esse narrantis, equidem tamen mihi persuadere vix possum, tantas ante veterem urbem tum temporis fuisse angustias. Quid enim tum necessarium fuisset, praeter turres in utraque ripa positas, mediam erigere tertiam, praesertim cum, ut Makrizius b. l. testatur, navigia propugnatoribus ferendis apta ad catenam alligata essent, eamque adeo satis sustinerent atque defenderent. Nec sane turris illius moles, qualem nobis descripsit testis oculatus Jacobus de Vitriaco *Hist. Hierosol.* L. IIII. (*Gesta Dei per Francos* T. I. p. 1128) satis convenire videtur cum tantis fluminis angustiis. *Nota* (inquit) *quod ante Damyatham in medio Nilo erecta est turris fortissima. In qua septuaginta camerae factae erant ad arcum volutum et in unaquaque erant tres archeriae.*

(20) *Sultanus arbores — excidi — jussit*] Mirifice illustrant haec verba Makrizii locum Oliverii obscuriorem, nec facile sine illorum auxilio intelligendum (*Hist. Dam.* C. 20. p. 1416), quo de vaticinio quodam rerum a Saladino gestarum agens, Christianis Dimyatham obsidentibus oblato, haec inter alia refert: *Praedixit etiam destructionem hortorum palmeti Damiatae civitatis quam factam vidimus, quando librum hunc per interpretem inspeximus.* E quo hoc praeterea intelligitur, obsidionis tempore rem adhuc in eadem conditione fuisse, nec proximis viginti quinque post Saladini obitum annis illius successores operam dedisse, ut, quantum temporis illius brevitas permitteret, damnum suburbanis illatum resarcirent. Caussam vero, quae Sultanam commovit, ut arbores hortorum Dimyathensium excidi juberet, hanc imprimis fuisse existimamus, ne hostibus Dimyatham adituris, materiem machinis faciendis praeberet, quem in usum palmas urbi vicinas ab Amalricho et Andronico Contostephano superiore expeditione succisas esse meminerat. Cf. *Nicet. Choniat.* l. l. p. 106, coll. Willermo Tyrio l. l. p. 984. Pontem, quem deinceps Makrizius commemorat, navium pontem fuisse putamus, a civitate ad turrim pertinentem, et partim catenae tuendae, partim turris, si opus es-

esset, adeundae caussa, jam A. 577 a Saladino exstructum, nunc autem novis operibus confirmatum. Hujus pontis etiam mentionem fecit praecipuus sacrae expeditionis sextae enarrator, a reliquis paene ad verbum exscriptus, Oliverius C. VIII. p. 1403. *Navis autem Theutonicorum et Frisonum inter turrim et civitatem anchoram habebat fixam, damna plurima per balistarios, qui intus locati fuerant, inferens Aegyptiis, praesertim illis, qui stabant in ponte inter civitatem et turrim porrecto. Ipsa vero navis a bellatoribus civitatis et turris et pontis jaculis et igne Graeco impetebatur vehementius.* Et deinceps ibidem p. 1404: *crebris machinarum ictibus pons pro magna parte destructus fuit, qui de civitate ad turrim ducebat hostes fidei.* Haec autem Dimyathae munitio extremo anno belli inter Saladinum et Francos gesti accidit (nam mense octavo Anni 588 induciae factae sunt), et luculentissime demonstrat novissimos Francorum successus expugnatamque Ptolemaidem et restituta Ascalonis moenia adeo ingentem terrorem Saladino incussisse, ut bellum a Christianis in Aegyptum transferendum cogitatione jam praeciperet.

(21) *Continua Francorum auxilia venerant*, etc.] Reges, Episcopos, virosque principes, qui A. 1217 Ptolemaidem, belli sacri gerendi caussa, venerunt, enumeravit Oliverius l. l. p. 1398. Hos omnes uno nomine complexus esse videtur Makrizius, cum Regum Francorum turbam Acconem convenisse diceret; nam Reges tantum tres expeditioni interfuerunt, Hierosolymitanus, Cyprius et Hungaricus Andreas, quibus quartum Armenium solus addit Willermi Tyrii continuator c. 67. p. 681. Rex Cyprius Tripoli in ipsis fere belli primordiis obiit, Andreas autem socios nondum in Aegyptum profectos turpissime deseruit, et eam ob caussam excommunicatus est, referentibus Oliverio c. 3. p. 1399 et Jacobo Vitriacensi, *Epist. ad Honor.* I. p. 288. qui ambo expeditioni interfuerunt. Quapropter, ut in prolegomenis obiter observavimus, inexcusabile plane mendacium est Bonfinii *Rerum Hungar.* Decad. II. Lib. III. p. 280—283, Regis Andreae ductu expeditionem Dimyathensem et susceptam et confectam esse impudenter affirmantis.

(22) *Ubi vero al Maleco al Adelo — nuntiatum est* etc.] Discrepat Makrizius h. l. nonnihil a Nuweirii testimonio, qui al Malekum al Adelum novae expeditionis a Francis in Syriam suscipiendae fama excitatum in Palaestinam cum copiis transiisse dicit, antequam cruce signati Ptolemaidem pervenissent. Loci Nuweiriani summa haec est. Al Malekum al Adelum, ob eam caussam, quam diximus, Aegypto excessisse die nono Rabiae posterioris Anni 614 (die 15 Julii 1217) et

Digitized by Google

et adiisse Hierosolymas; hinc secundum Abou Schamam Karakum venisse, ibique aliquamdiu moratum, impedimenta et thesauros reliquisse: secundum alios vero substitisse Hierosolymis, donec Franci ex Roma tractibusque Occidentis versus Septentrionem sitis (الغرب الشمالي) venissent, quos apud locum Herbat al Losous (حربة اللصوص) frustra egressu navium prohibere conatus sit, cum ante illius adventum jam in litus exscendissent. Haec Nuweirius, quae egregie conspirant cum Christianorum scriptorum narratione. Nam licet primarius auctor Oliverius Scholasticus de tempore, quo Christianorum copiae in sexta expeditione sacra in Orientem transire coeperunt, nihil certum et definitum tradiderit, ex conjunctis tamen et conspirantibus hujus et reliquorum testimoniis tuto affirmari potest, cruce signatos *passagio* demum *autumnali*, ut illi loquuntur, Ptolemaidem venisse, cum jam unum alterumve mensem al Adelus in urbe Hierosolymarum vicinisque tractibus exegisset. Primum ea de re nos dubitare non sinit Concilii Lateranensis mense Novembri A. 1215 habiti decretum, quo cruce signati *in Calendas Junii sequentis post proximum* (i. e. anni 1217) vel Messanam, vel Brundusium, convenire jubentur (Reinaldi *Contin. Hist. Eccl. Baronii* T. I, ad A. 1215. n. XIII. p. 379); quod tempus designatum si observarunt Christiani, vix ante autumnum in Palaestinam pervenire potuerunt. Hoc autem revera accidisse epistola Honorii Papae (L. II. n. 595) ostendit, qua IX. Kal. Aug. data Genuensi Archiepiscopo significat Andream Hungariae regem, item Austriae Ducem aliosque principes, proximo die natali B. Virginis (die 8 Sept.) Cyprum esse conventuros, eodemque etiam Patriarcham Hierosolymitanum et Templariorum magistrum esse transituros, ut de bello gerendo communi consilio statuerent. Quodnisi isto demum tempore, vel serius etiam, in Palaestinam pervenissent, vix intelligeretur cur non ante sextam feriam post Festum omnium Sanctorum in agrum hostilem excurrissent, et tamdiu inermes Ptolemaide desedissent. Cf. notam proxime sequentem 23.

(23) *Al Adelum Baisanem profectum aliaqui conati sunt*] Hujus incursionis apud Christianos etiam scriptores memoria exstat, quorum plerique *Bethsanem*, sive Scythopolim, i. e. Arabum بيسان, ea occasione a cruce signatis occupatam agrumque vastatum fuisse contendunt. Cf. inter alios Sanutum *Secr. fidi crucis* Lib. III. P. XI. c. 6, Bernardum Thesaur. *De acquis. Terrae sanctae*, c. 186 (Murator. *Script. rerum Italic.* T. VII. p. 882), Matth. Paris. p. 291, quorum

 ex

ex fide non minus, quam ex ipsa rei ratione, corrigendus est Jacob. de Vitr. *Hist. Orient.* L. III. p. 1129, qui solus *Bethaniam*, pro *Bethsanam*, in editis libris offert. Nec minus graviter peccatum est in eo Oliverii codice, quem Ekkardus edidit. Nam Galeanus p. 436 recte *Betsanam* habet, Ekkardianus male *Bethsaidam*, quod oppidum paucis interjectis diebus, in hac ipsa expeditione, conspexerunt quidem cruce signati dum maris Galilaei litora legebant, non vero diripuerunt. Eundem plane errorem reperies apud Godefridum Monachum p. 386. Imprimis vero notabilis est Vincentii Bellovacensis lectio, Lib. XXX. c. 79, Oliverium ad verbum quidem describentis, at nihilo minus pro illius *Betsanam* vel *Bethsaidam* nomen *Beniasam* offerentis. Quod utrum singulari quodam casu an consilio factum sit, nescio: hoc vero scio, hanc lectionem accurate exprimere Arabicum بانياس, quod Paneadis, hoc ipso tempore, ut Makrizius testatur, a Christianis direptae, nomen est. E reliquis Latinis auctoribus nemo est, qui hic ullam Paneadis mentionem faciat, praeter Jacobum Vitr. *Epist. I. ad Honor.* p. 287 sq., ubi de prima Christianorum excursione generatim notat, cruce signatos pervexisse Damascum multasque villas, item oliveta, arboresque fructiferas diruisse, Saracenosque cepisse multos, sed multo plures suorum amisisse. Paneadem vero, sive Caesaream Philippi, non ista, sed tertia demum expeditione, Christianos adiisse affirmat, sic scribens: *Tertium vero iter aggressi sunt apud castrum quoddam, quod dicitur Belfori, et apud Belnias* (l. *Belnias*, et vide Relandum in *Palaest.* p. 919 sq.), *quae alto nomine Caesarea Philippi nuncupabatur.* De tempore vero, quod apud Bethsanam exegerunt cruce signati, accurate cum Makrizio consentit Godefridus Monachus, triduum post vigiliam S. Martini (die Novembris 12—14) in istis locis quievisse exercitum affirmans. Pro *triduo biduum* habent Oliverius et reliqui, qui omnes una cum Godefrido incursionis initium ponunt in feria sexta post Festum omnium Sanctorum, i. e. die 7 Novembris. Ptolemaidem rediisse videntur copiae circiter die 16 vel 17 Novembris, quantum ex Scriptorum Latinorum testimonio colligi potest, qui post illam tridui quietem Christianorum redeuntium tres mansiones, sive tria castra, memorant. Quod restat, de Baisane, sive Bethsane, et Paneade inspiciendi sunt Reisudus in *Palaest.* p. 918—920 et 992—998, Abulf. in *Tab. Syr.* p. 84 et 96; item *Ind. Geogr. in Vit. Salad.* in vocibus.

(22) *At Franci — altera vice nostram Altinem aggressi*]. Quae hic de altera

Fran-

Francorum in ditionem Moslemicam incursione, direptisque Sidone et Schakifo narrantur, nec in nostris nec in Moslemicis auctoribus reperio. Nam Oliverius Scholasticus, quique eum secuti sunt, post memoratam primam expeditionem, quam nota proxime superiore attigimus, statim subjiciunt: *In secundo equitatu adivimus pedem montis Thabor*; quae res infra a nostro ad tertiam expeditionem refertur, ubi de arce al Thour (sive montis), per septemdecim dies continuos (quod etiam Ibn-Al Atsirus l. l. et Nuweirius testantur) a Francis obsessa, verba facit. Quam temporis notam, aliasque nobis a Makrizio oblatas, si cum illis conferamus, quas nobis Oliverius Scholasticus et Sanutus reliquerunt: equidem vereor ne et nostrum scriptorem, et Abulfedam in magno errore versatos esse, et Makrizium maxime praeposterum in rebus narrandis ordinem secutum esse reperiamus. A Christianis considerandis initium faciamus. Ex his nemo, quod sciam, temporis, quo arx Thaboriensis obsessa fuit, diuturnitatem enotavit: at plerique omnes impetum in arcem factum esse testantur *prima Dominica de adventu*, vel quarta ante festum nativitatis Christi, quae dies A. 1217 incidebat in secundum Decembris; nam desinit annus iste die Lunae. In Oliverio autem Scholastico, post frustra tentatam castelli illius montani expugnationem sequentia referuntur a reliquis exscripta: *In tertio equitatu — multa damna et incommoda — perpessi sumus, praesertim in vigilia Nativitatis Domini per viam. — Ac ipsa sacra nocte* (a 24 ad 25 Dec.) *in qua tempestatem terrestrem, ventis et pluviis commotam, experti sumus gravissimam in finibus Tyri et Sidonis, juxta Sareptam.* Nunc iterum oculos referamus ad Makrizium, qui haec omnia, quae praecesserant, i. e. duplicem excursionem, alteram in agrum Baisanensem, alteram in Sidonem et Schakifum accidisse refert a medio usque ad finem Ramadhanis A. 614 (i. e. a 15 usque ad 30 Decembris A. 1217), deinde ad obsidionem arcis Thaboriensis transit, ut tempore posteriorem. Quae si inter se componamus, hoc nobis esse videtur luce meridiana clarius, quae Oliverius in *tertio equitatu* accidisse narrat, eadem (licet nostri de capta Sidone et Schakifo taceant) ad secundam expeditionem, sed injuria, a Makrizio referri, cum castelli Thaboriensis oppugnatio, hac incursione non, ut ipse putavit, posterior, sed anterior fuerit: quod autem de rebus Francorum a medio Ramadhane ad finem usque gestis retulit, id de sola expeditione Sidoniensi, non item de Baisanensi, quae mense Novembri medio perfecta jam erat, intelligendum esse. Quapropter imprimis

Digitized by Google

reprehensione nobis dignus esse videtur Abulfeda *A. M.* T. IV. p. 262. qui in caeteris omnibus Makrizio consentiens, sed nimium brevitati studens, direptionem illam Baisanensem, omissa Sidoniensi, ad posteriorem partem Ramadhanis referendam esse existimavit. Ergo, ut rem paucis complectar, hic rerum ea tempestate gestarum ordo fuit. Prima expeditione egressi cruce signati die 7 Novembris, Baisanem et agros circumjacentes vastarunt, et ante medium mensem in castra redierunt, ubi per aliquot dies quies fuit. Tum altera excursione arcem montanam, exeunte Novembri et ineunte Decembri, oppugnaverunt, et infecta re Ptolemaidem reversi, brevi post tertia vice medio mense excurrentes, post direptam Sidonem et Schakifum, in ipso Anni 1217 Ramadhanisque exitu, in castra sua se receperunt. Supererant ergo tum temporis tres adhuc menses Anni Moslemici 614, et in versione loci, quem laudavimus, Abulfedaei, bis adeo corrigendus est Reiskius: *Sub anni denique finem*, inquit, — *invadebant Franci arcem montis — deinde tamen pedem retro ferebant ad castra sua prope Acconem, elabente interim anno.* In quibus verba *sub anni denique finem* contra fidem historiae Abulfedae ultro obtrusit, clausulam vero sententiae male interpretatus est. Abulfedae enim verba Arabica haec sunt: ثم رحلوا عنه وانقضت السنة والفرنج في جموعهم في عكا, quorum haec significatio est: *Francos arcis obsidionem solvisse, eosdemque anno exeunte apud Ptolemaidem cum omnibus copiis stativa habuisse.* Quod omnino recte ab isto auctore affirmatum fuisse existimo. Nam desinit Annus Moslemicus 614, die Martii 28 Anni 1218, cujus initiis quarta vice magna pars exercitus Christiani e castris profecta est, ut partim cum Rege Hierosolymitano arcem apud Caesaream, partim cum Templariis castrum Peregrinorum, communiret. Sed haec facile bimestri spatio confici potuerunt, redieranteque jam copiae Ptolemaidem, cum nova auxilia Franci ex Europa acciperent, quae mense *Martio* ad Ptolemaidem appulisse novimus ex Oliverii et Sanuti testimonio, non *Majo* demum, ut perperam in Jacobi Vitriacensis *Hist. Orient.* L. III. p. 1132 editum legitur. Isto enim mense Dimyatham profecti sunt, intermedium vero spatium, atque adeo Anni Moslemici 614 finem et sequentis initium omnes, et veteres copiae, et recens advenae, atque ergo الفرنج بجموعهم Ptolemaide exegerunt. Quod autem de tempore reditus Francorum ultimi in castra Acconensia diximus, id confirmari etiam potest alio ejusdem Jacobi loco in *Epist. I ad Honor.* in *Thesauro Mart. et Durandi* T. III. p. 288, ubi Reges et Duces Ptolemaidem reversos, *a tempore*

me-

Digitized by Google

mediae quadragesimae de summa rerum saepius deliberasse testatur. Cum vero Paschatis festum eo anno incidat in diem decimum quintum Aprilis, quadragesima, quae illud 42 dies praecedit, ad diem quartum Martii necessario referenda est. Haec igitur sunt, quaedé rerum a Francis tum temporis in Syria gestarum ordine nobis probabiliter statui posse videntur. Quorsum vero referenda sit expeditio Christianorum a solo Nuweirio memorata definire non audemus. Hic enim, postquam Baisanis diruptae, et arcis Thaboriensis frustra oppugnatae, mentionem fecerat, sic pergit: *Cum vero in varias partes discessissent Franci, Al Hankarii* (الهنكر, an Hungari, i. e. Andreae Hungariae Regis?) *ex sorore nepos in montem Sidonis tetendit, aliter fieri non posse dicens, quin illius incolas in potestatem suam redigeret, nec Sidonis domino credidit monenti gentem istam sagittandi peritia celebrem, loca ipsa difficilia esse. Ergo cum quingentis ex Francorum fortissimis adscendit ad Harin* (حرين), *qui ager est Meidanensium* (الميادنة), *haud procul Meschgara* (مشغرا). *Hunc locum ab incolis desertum Franci insederunt, quietis capiendae gratia ab equis descendentes. At subito desuper e montibus ingruentes Meidanenses captis equis plerosque interfecerunt. Qui supererant versus Sidonem fugerunt, hominem secum rapientes Moslemum, al Djamousum* (الجاموس) *nomine, quem ceperant. Huic profitenti se per loca plana illos Sidonem esse ducturum, magnas, si fecisset, divitias polliciti sunt Franci. Cum vero illos per valles confragosas circumduceret, Moslemis interim a tergo instantibus, et sive interficientibus Francos, sive vincientibus, hominem hoc de industria egisse intellexerunt, eumque interfecerunt. At ex quingentis illis vix tres Sidonem redierunt incolumes.* Primo adspectu haec pertinere ad tertiam Christianorum expeditionem in finibus Sidoniis, atque adeo confirmare videntur rerum gestarum ordinem, quem Latini scriptores secuti sunt. At si rem accuratius consideres, nonnulla obstare existimabis, quominus ad illud tempus referantur. Nam primum hoc facinus non omnium Francorum fuit, sed unius turmae, atque adeo post divisas et discretas Christianorum copias accidit. At *exercitus Domini* (ut Oliverii verbis utar) tum demum *quadrifariam divisus est*, cum ab incursione in agrum Sidoniorum rediisset. Neque vero hoc omittendum, Sidonem, quam teste Makrizio in ista incursione diripuerunt, quo tempore illa acciderunt, de quibus exponit Nuweirius, jam in Francorum potestate fuisse videri. Utut est, pertinent illa procul dubio ad A. H. 614, et si ابن اخت الهلكر recte de Regis Hungarici nepote ex sorore exposuimus, rem ge-

Digitized by Google

stam esse existimamus, ante Regis illius in patriam discessum, expeditione Sidoniensi haud multo posteriorem.

(25) *Schakifum*] Cum plura loca sint hujus nominis in Syriae tractu, enumerata a Schultensio in *Indice Geographico*, dubium videri posset, de quonam sermo esset, nisi expeditio in agrum Sidoniensem suscepta satis ostenderet haec de *Schakifo Tiroun* (شقيف تيرون) intelligenda esse; quae, testibus Lexico Geographico et Abulfeda *Tab. Syriae* p. 98, ibique n. 102, in agro Tyrio jacet, nobisque haud diversa esse videtur a *Scala Tyriorum*, altissimo monte et centum stadia a Ptolemaide ad Boream remoto, ut Josephus testatur *de Bello Jud.* L. II. c. 9. Cf. Reland. *Palaest.* p. 343. Nomen شقيف, quod Arabicum non est, ex Aramaeismo mutuati sunt Arabes, in quo שְׁקִיף, vel סִיפָא, *rupem* significat *altam*, unde נשקף apud Hebraeos etiam in usu est de monte praerupto in planitiem imminente. Quem usum vocis شقيف spectabat forte Schultensius, cum l. l. haec scriberet: *De origine vocis, luceque inde se diffundente ad* שגב *Hebraeorum, unde* משגב *arx celsa, invicta, alibi latius.* Cui tamen promisso, ut equidem opinor, numquam satisfecit. Utut est, تيرون corruptum esse ex genit. plur. Τυρίων, atque شقيف تيرون pp. esse *rupem excelsam* (i. e. scalam) *Tyriorum*, paucos in dubitationem vocaturos esse censeo.

(26) *Mardj al Soffar*] Sic scripsimus, auctore Beladzorio in كتاب فتوح البلدان, MS. 430. p. 139, ubi diserte exaratum legitur مرج الصُّفّر. Consentit etiam ex parte Lex. Geogr. cum teschdid scribendum esse asserens, licet de vocali Dhamma taceat. Plerique nostrorum efferunt *Mardj al Safar*, Reiskius in versione Abulfedae *A. M.* T. III. p. 426 *al Safr*, idque *campus aeris* interpretatur, cujus errorem jam reprehendit Sacyus, *Relat. de l'Egypte*, p. 492. n. 112. Nobis, licet frustra in caussam nominis inquisiverimus, probabiliter significare videtur *campum fistulatorum* i. e. *aucupum*. Nam صُفّر coll. est a صافر *fistulator*. Caeterum locus est notissimus Damasco vicinus, ad Gautham sive vallem Damascenam amoenissimam pertinens, proelio inter Arabes et Graecos A. 14 (Chr. 635—6) ibi commisso, quod l. l. descripsit Beladzorius, insignis, item castrametatione Francorum A. 1126 Damasco obsidionem minantium. Cf. Willerm. Tyr. l. XIII. c. 18, ubi locum *Mergisafar* appellat, ibique Paulo, ad vexandos Chri-

Digitized by Google

Christianos Damascum tendenti, Christum apparuisse ex traditionis fide testatur. Quae Archiepiscopi Tyrii observatio, etiam a Jacobo Vitriacensi *Hist. Hieros.* L. I. c. 45 confirmata, demonstrat, campum istum, cujus verum situm haud satis accurate definiunt Mosiemici scriptores, ad latus urbis orientale quaerendum esse. Pocockius enim T. II. l. II. c. VIII. p. 202 sq. *Vers. Belg.* item Maundrellus *Itiner. Hieros.* p. 217. *Gall. Vers.* locum, ubi S. Paulus ad veram fidem conversus esse fertur, dimidium circiter milliarii Anglici ab urbe Damascena versus orientem abesse perhibent.

(27) *Al Moadhdham Isa*] Plenum nomen filii illius Sultani al Maleki al Adeli, ejusque in regno Damasceno successoris, fuit al Malek al Moadhdham Scharfoddin Isa, quem nostri Conradinum, vel Conradenum, vel Chonradenum appellant, cujus corruptionis probabilem caussam attulit Reiskius in notis ad Abulfedam *A. M.* T. IV. p. 684. n. 189.

(28) *Feria tertia*] Dies quartus mensis Rabiae prioris A. H. 615 respondet trigesimo Maji A. 1218. Nam annus iste Arabicus incipit die vigesimo nono Martii, qui cum incidat secundum tabulas Gravii in feriam quintam, diem Maji trigesimum, non feriam tertiam sed quartam fuisse constat. Quomodo autem dies octavus mensis Haziran cum trigesimo Maji convenire potuerit, aliis Chronologiae peritioribus dijudicandum relinquo. Etenim mensis Haziran erat nonus anni Syro-Graeci solaris a kalendis Octobribus incipientis, illiusque mensis initium respondebat kalendis Junii, in quas ex nostri computo dies decimus mensis Haziran inciderit, quo admisso initium anni non in kalendis Octobribus, sed (quod omnino memoria dignum) in aequinoctio autumnali ponendum esset. At Scaliger de *emend. temp.* p. 240 sqq. anni Syro-Graeci initium diserte collocat in kal. Octobribus, nec noster, qui de aera Alexandri peculiari capite disputavit, ullam aequinoctii autumnalis cum anni ingressu conjuncti mentionem fecit. Utut est Makrizius affirmans mense Safaro discessisse e Syria Christianos, die quarto Rabiae prioris, sive trigesimo Maji, apud Dimyatham castra posuisse, a Jacobo Vitriacensi *Hist. Orient.* L. III. p. 1132 dissentire non videtur, qui hic nonnulla habet in editis Oliverii exemplis deficientia, et cruce signatos mense Majo Ptolemaide profectos, triduo Dimyatham pervenisse, biduum vero eorum, qui nondum aderant, adventum exspectasse dicit, antequam in litus escenderent et castra communirent; ex quo apparet illos revera, vertente adhuc mense Safaro, sed ex-

Digitized by Google

tremo die Ptolemaide fuisse profectos. Si tamen ad ejusdem Jacobi Vitriacensis epistolam primam et secundam in *Martinii et Durandi Thesauro* T. III. p. 288 et 290 oculos referas, subdubitare incipies an revera Christiani mense Safaro e Syria discesserint, idque potius Rabia ineunte accidisse existimabis. Tradit enim priore loco Episcopus, die ascensionis Domini iter per mare in Aegyptum susceptum esse, in posteriore vero accuratius naves quidem eo die conscensas fuisse perhibet, nec tamen e portu Acconensi solvisse cruce signatos ante proximam Dominicam, intra biduum pervenisse Tanim, tertioque die ad insulam Damyathae, i. e. Deltam. Jam si ad calculos sedeamus, diem Paschatis incidisse reperiemus in diem 15 Aprilis, a quo 42 dierum intervallo dirimitur Dominica diei Ascensionis proxime succedens, atque incidens adeo in Maji diem 27. Jam hunc et proximum navigando consumserunt Franci, ejusdemque mensis die 29 in conspectum Dimyathae venerunt. Ergo jam tota res in unius diei discrimine vertitur. Nam si biduum socios exspectarunt, priusquam in litus escenderent, quod tamen in sola historia, non item in epistolis tradit Jacobus, die 31 Maji, non 30, ut vult Makrizius, castra communiverunt. Si autem die 27 Ptolemaide solverunt, in Safarum eorum profectio non incidit, qui pridie jam desierat. Nihil tamen obstat, quominus Makrizium ipsam Ascensionis diem, i. e. 24 Maji vel 27 Safari, qua milites classem conscenderunt, haud injuria pro initio profectionis sumsisse putemus. Quod si accuratius in hanc rem inquiramus, majoribus etiam difficultatibus implicabimur. Nam ab altera parte Oliverius c. 7. p. 1402 diserte affirmat hostilem terram cepisse Christianos feria III, et c. 17. p. 1415 hoc memoria imprimis dignum existimat, quod feria tertia et ad Dimyatham pervenerint, et ripam Orientalem occuparint, et civitatem ceperint; ab altera idem quoque animadvertit Ibn Khalic. in *vita Tahyae ibn Ali al Katib.* Cod. P. T. III. p. 156. Quae cum ita sint, revera hic de feria tertia, non de quarta, cogitandum esse apparet, probandumque Nuweirium, qui initium obsidionis (نزول الفرنج على دمياط) ad diem Rabiae prioris tertium referat. At hoc si statuas, atque Makrizium ex Nuweirio corrigendum putes, iterum haerebis, nisi forte scriptores Arabicos minus accurate locutos esse, et initium obsidionis non ab exercitus Christiani in litus escensu, qui biduo post demum locum habuit, sed a classis adventu numerasse arbitreris. A cujus negligentiae culpa posteriore loco quem laudavimus, non item priore, vacat Oliverius. Illius enim haec verba sunt: *Ipse (Deus) agonistas*

suos

Digitized by Google

suos per aquas maris perduxit ad portum Damiatae, mense Majo, feria III. Qui locus, si vel nulla praeterea disputatio accessisset, solus omnino sufficeret ad redarguendum insignem errorem Michaudii, qui in libro suo *Hist. des Crois.* T. III. p. 433, (binorum fere mensium anachronismo) Christianos primis Aprilis diebus Dimyatham venisse affirmavit. Caeterum de numero militum Christianorum, quem hoc ipso loco memoravit, et nimis, ut videtur, auxit Makrizius, nec Oliverius, nec alii, quod sciam, scriptores Christiani quidquam retulerunt.

(29) *Etenim Nilus* etc.] Cursus Nili per Aegyptum inferiorem notior est, quam ut de eo disputetur. At nihilominus necessarium videtur pauca quaedam animadvertere de locis, ad quae flumen, nostro teste, in varia brachia scinditur, Schattanauf et Djawdjar, quorum a Niebuhrio nullam factam esse mentionem miror, cum *Itiner.* T. I. p. 75—84 omnium locorum, qui in ripa Nili a Dimyatha Kahiram usque jacent, accuratissimum censum egerit. Schattanauf (sic enim ex auctoritate Lexici Geographici scribendum esse duximus, non ut reliqui fecerunt, Schatnauf), in *Tabl. dét. des lieux de l'Egypte*, p. 654. n. 80, ad provinciam Menouf refertur, et recte quidem, cum illa ab austro in apicem Deltae desinat; ubi Schattanouf jacere ex Martyrologio Coptico jam effecerat Champollionius, quem confer in opere inscr. *l'Egypte sous les Phar.* T. II. p. 147—151. Illius opinionem non tantum Makrizius confirmat, sed etiam Lex. Geogr., quo teste praeterea illud duas parasangas a Kahira abesse discimus. Idem auctor pagum istum provinciae al Garbiyyeh attribuit, hanc, ut videtur minus accurate ad universam fere Deltae partem, Phathmeticum inter et Canopiticum Nili brachium jacentem, extendens. Melius fecisset si Djawdjar, alterum locum a Makrizio memoratum, et in ipsa Delta e regione al Mansourae situm, non ad nomum al Samanoudium (كورة السمانودية) sed ad provinciam al Garbiyyeh retulisset, uti factum est in *Tabl. dét. des lieux*, p. 637. n. 156, qui locus etiam ostendit, haud satis idonea de caussa auctorem Lexici Geogr. Djawdjar oppidulum (بليدة) appellasse, cum reditus illius annuus viginti duobus aureorum millibus haud inferior esset.

(30) *Brachium Nili separat urbem Dimyatham a terra occidentali, quae Djizeh Dimyath appellatur* etc.] Terra occidentalis, sive البر الغربي, universam, uti ex addita definitione apparet, complectitur Deltae partem, quae inter Dimyatham et Raschidum

 in-

Digitized by Google

interjacet et a mare usque ad Schattanauf extenditur. Hujus vero insulae a Nilo formatae ea pars, quae e regione Dimyathae sita est, appellatur Djizeh Dimyath (جيزة دمياط) et l. l., et infra semel et iterum; pro quo tamen nomine unus codex 276 hic nobis offert جزيرة دمياط, *insula Dimyathae*. At perperam, nam insula Dimyathae potius illa Deltae pars censenda est, quae brachiis Nili Mendesio et Phathmetico, lacu Menzaleh et mari terminatur. Lectionem vero جيزة دمياط luculentissime confirmat locus Barhebraei in *Chronico Syriaco* p. 458, qui leviter quidem est corruptus, et ab interprete misere deformatus, ex nostri autem auctoris comparatione facile restitui poterit. Verba illius de Francorum apud Dimyatham adventu exponentis haec sunt: ܡܬܝܠܝܢ ܕܡܝܛܝܐ ܕܓܢܣܝ ܕܩܪܝܐ, quae sic reddita esse leguntur a Brunsio: *quam* (Dimyatham) *terra adortus est, qui vocatur Gensch*. Tu pro ܡܬܝܠܝܢ repone ܢܚܬܝܢ et verte: *escenderunt autem in terram, quae appellatur Djizeh*. De appellationis origine nihil certi afferre possum; quamvis satis apparet, et hanc Djizeh, et notiorem illam apud Kahiram, magna quadam situs similitudine inter se contineri. Nam sicut illa Kahirae, ita nostra Dimyathae ex adverso opposita est: quamobrem vero dissimile non videtur nomen etiam, quod utrique loco commune fuit, a Geographica ista positione derivandum esse. Vox جيزة vulgo apud Arabes *oram vallis* sive *torrentis*, *ripamve* notat. Num forte hic magis restricte *ripa opposita* significatur? Nisi forte جيزة infinitivus habeatur, vel nom act. verbi جاز *trajicere*, ut v. g. جيزة دمياط sit *trajectus* (veer) *ad Dimyatham*. Sed haec de nomine loci jam satis. Nunc breviter adhuc in ipsam rem et in caussas inquiramus, ob quas Christiani eo potissimum in tractu, et tunc, et postea S. Ludovici ductu, castra posuerint, quod a nemine adhuc factum esse admodum miror. Cum enim et rei ratio suadere videretur, ut in ripa orientali castra ponerent ipsamque urbem protinus obsiderent, et in omnibus superioribus expeditionibus Graeci et Franci ab ea parte Dimyatham oppugnasse videantur; caussa certe quaedam existere debuit, quae Francos deinceps a decessorum suorum exemplo imitando deterreret. Hanc autem duplicem fuisse existimo, expeditionis proxime superioris a Manuele Imp. et Amalricho susceptae infaustum exitum, et succisam a Saladino Sultano hortorum Dimyathensium silvam. Et de posteriori vix opus est ut dicamus. Si enim in orientali ripa castra metati essent Franci, illis ex Saladini con-

Digitized by Google

consilio, omnis machinarum faciendarum copia et facultas ademta fuisset. Amalrichi vero expeditio docuerat quam ineptae essent tantis copiis continendis istae circa Dimyatham angustiae. Cum enim Nilo, mari, lacu Menzaleh et urbe, quae vix unum milliare a litore aberat, obsessores undique fere clausi tenerentur, nulla in hostiles campos excurrendi commeatusque comportandi opportunitas dabatur, nec inimicorum sumtu, sed suo vivebant. Hinc etiam, navibus annonam non advehentibus, fames Graecos milites eo tempore maximopere vexavit. At omnia contraria erant in occidentali ripa, ubi nec longissimae palmae machinis faciendis, nec locus magno exercitui explicando, nec praedae agendae commeatusque comportandi facultas deërat, cum universa Delta, ditissima Aegypti provincia, Francorum incursioni pateret.

(31) *Turres erigebant*] Quae hic de pluribus turribus leguntur, pertinere videntur ad irritos Ducis Austriae, Hospitalariorum, Templariorum, Teutonicorum et Frisiorum conatus, qui die prima Dominica post festum S. Johannis Baptistae (Kalendis Juliis A. 1218) ut Jacobus de Vitriaco, p. 1123 testatur, quinque cogones (koggen) singuli nempe singulos, propugnaculis munitos ad turrim applicuerunt (cf. Oliverius c. 8. p. 1403). Cum autem classis Francorum infra Dimyatham in ipso introitu Nili stationem ageret, naves istas machinasque adverso flumine subducendas fuisse apparet, quod noster phrasi يرجعون بها في المراكب الي برج السلسلة expressisse videtur. In proximis aliquamdiu subdubitavimus utrum in verbis العبور الي القاهرة ومصر, *transitus ad Kahiram et Mesr*, مصر de universa Aegypto, an de Fosthatha, accipiendum esset. Prius procul dubio ut magis rationi consentaneum maluissem, nisi linguae rationes obstitissent. Nam si Aegyptum designare voluisset auctor, aut كلها, aut جميعا, aliamve vocem ejusdem significationis addidisset, cum مصر ita nude positum et cum Kahira junctum solenniter usurpetur de Fosthatha, de qua nostrum etiam locum vel ea de caussa explicandum esse censeo, quod cruce signatos, qui sibi aditum ad Kahiram et Mesr patefieri cupiebant, jam tum in ipsa Aegypto versarentur.

(32) *Turrim — navi magnae onerariae imposuerunt*] Celeberrimae illius machinae descriptionem vide apud Oliverium, cujus consiliis et auctoritate illam factam esse inter alios testatur Jacobus de Vitriaco, in *Epist. tertia ad Honor.* in *Thes. Martenii et Durandi*, T. III. p. 292. Caeterum illa duobus cogonibus innitebatur, non *uni navi magnae onerariae*, ut noster affirmat. Sic enim voces

 بطسة

Digitized by Google

بطسة كبيرة explicandae sunt, quas hic usurpat Makrizius. Vox بطسة (quae in Cod. 372 et in Cod. 371. a pr. m., item in Abulfedae, *A. M.* T. V. p. 96. (ubi vide Reiskium not. hist. 68) بسطة, apud eundem Abulfedam vero *A. M.* T. IV. p. 100 بطشة scribitur, at in eodem loco, a Schultensio in Excerptis Abulfedaeis p. 48 edito بطسة) in nullis, quantum equidem novi, lexicis exponitur. Illius plurale بطس, quod quibus vocalibus instruendum sit, nescio, aliquoties occurrit in *Vita Saladini*, in qua p. 193, uti singul. in ll. ll. Abulfedae, de navibus bellicis, sive cogonibus Francicis, usurpatur, licet p. 137. bis de navibus onerariis Moslemicis etiam occurrat.

(33) *Hic igitur die tertio — egressus est.*] Verba Arabica, tempus, quo al Malekus al Camelus Kahira profectus est, designantia paullo obscuriora sunt. Nam ista: في ثالث يوم من وقوع الطاير مخبر نزول الفرنج بخمس خلون منه, triplici ratione verti possunt, cum منه, sive ex solenni usu phraseos بخمس خلون, ad mensem aliquem, atque adeo h. l. ad Rabiam priorem, referri, sive pertinere possit ad نزول, unde anceps iterum et duplex illius vocis نزول constructio orietur. Primam tamen rationem amplecti vix possumus, tum quia nomen mensis remotius est, quam ut منه eo satis commode referatur, tum propter ipsam, quae inde oritur, sententiam. Sic enim columba postridie quam Franci ex Makrizii sententia advenissent, nuntium de eorum invasione Kahiram attulisset, quod, propter insigne locorum intervallum, vix est verosimile. Nec sane tantam columbarum istarum velocitatem alia loca, ubi memorantur, ostendunt. Sic, ut hoc utar, cum A. 570 (Chr. 1174—5) Franci Alexandriam oppugnarent, tertio demum die post adventum hostium columba ἐπιστολιφόρος Fakousam venit (Abou Schamah apud Michaudium, *Hist. des Crois.* T. VII. p. 576) cum tamen Fakousa, in provincia al Scharkiyyeh versus deserti Syriae limites sita, haud adeo multo majori intervallo ab Alexandria, quam Kahira a Dimyatha, dirimi videatur. Quae Abou Schamae narratio, ut hoc obiter observem, luculenter edocet quam parum firma sit et certa Michaëlis Sabbagii, Arabis eruditi, haud ita pridem Parisiis defuncti, sententia, qui in elegantissimo libello, *La colombe messagère* inscripto, p. 41 sq. affirmat, columbarum istarum usum intermissum fuisse, inde ab obitu Nouroddini Mahmoudi A. 569 (Chr. 1173—4) defuncti, usque ad Khalifatum Naseri ledinillah, sive A. C. 1179. Quod si jam aliter construamus particulam

منه

Digitized by Google

منه, et ad نزول referamus, magna, prouti diximus, erit verborum ambiguitas; cum vel sic explicari possit, ut columba quinto post hostium adventum die Kahiram venerit, vel ita, ut al Malekus al Camelus eodem, et post allatas per columbam literas, tertio die, Kahira exierit. Posterius malo, quia nullus istarum columbarum usus futurus esset, si in tantillo spatio permeando quinque dies consumerent.

(34) *Provinciae al Garbiyyeh praefecto imperavit, ut Arabes congregaret.*] Provincia al Garbiyyeh, uti supra significavimus, mediae Deltae inter brachium Nili Canopiticum et Phathmeticum sitae partem occupat. Illius ergo incolae Arabes Francis a tergo erant, illosque incursionibus suis a Dimyathae obsidione avocare poterant. Huc ergo Arabes istos excivit Sultanus, nec illos in vexandis Christianis officio suo defuisse noster ostendit, cum infra uberius, tum brevius in libello tribuum Arabicarum in Aegypto degentium memoriem complexo, et magnam partem Gallice translato a V. C. Quatremère, *Mém. Géogr. et Histor. sur l'Egypte*, T. II. p. 190—216, ubi p. 192 leguntur sqq. *Ces Arabes* (les descendans d'Ady ben Kaab), *aussi bien que ceux de Kenanah, se distinguèrent extrêmement pendant le siège de Damiette*, quae respondent Arabicis istis in nostro Codice lectis MS. 560 وكانوا هم (بنوا عدي بن كعب) والكنانيون من ذوي الاثار المذكورة في نوبة دمياط. Haec autem, quae citavimus, ad primum bellum Dimyathense pertinere certum est, cum in altero Ludovici Sancti ductu gesto, Banou Kenanah Dimyatham, quam sibi Sultanus al Malek al Saleh tuendam tradidisset, turpissime deseruerint, facilemque praedam hosti reliquerint. Cf. Abulf. *A. M.* T. IV. p. 498, Djemaleddinum apud Michaudium, *Hist. des Crois.* T. VII. p. 553, Makrizium ibid. p. 720. Formam vero rariorem العربان, qua hic et inferius Arabes designat Makrizius, offert etiam Khalil Dhaheri in *Chrest. Sacyana*, T. I. p. 243 et p. 247 bis.

(35) *Classe — infra Dimyatham subsistente, Sultanus in palatium Adelicum divertit.*] Pro *infra Dimyatham* (تحت دمياط) exspectares omnino illud, quod sententia requirit, *supra Dimyatham* (فوق دمياط). Quod autem proxime memoratur *palatium Adelicum*, sive المنزلة العادلية, ab ipsius, ut videtur, Sultani patre Al Maleko al Adelo nomen traxit. Illius loci in hujus belli descriptione meminit etiam Ibn al Atsir l. l. p. 537, eundemque memorat *Tabl. dét. des lieux*, p. 630. n. 3. Apud Francos locus iste *Casale* appellatur, i. e. *pagus* (quam notionem hodieque in lingua Italica habet) et *oppidum* (vlek). Cf. Matthaeum Pa-

Digitized by Google

risiensis p. 796. v. 23, ubi in epistola quadam Mansourah, oppidum muris portisque clausum, *casale* appellatur. Nostrum *casale* milliare ab urbe distare dicit Oliverius c. 7. p. 1402. et c. 12. p. 1408. Imprimis autem observatu dignum est, locum al Adeliyyeh dictum, in Tabula Geogr. X Tomi primi Niebuhriani a meridie Dimyathae hodiernae reperiri, non multo minore intervallo, ut videtur, a nova, quam illa, de qua agimus, Adeliyyeh a veteri urbe, diremtum. Nam, ut ex ipso Itinerario p. 76 apparet, inter Dimyatham et Adeliyyeh duo etiam pagi interjacent. Quapropter, nisi forte putes, Adeliyyeh non minus, quam ipsam Dimyatham, locum mutasse, quae opinio me certe assentientem non habebit; illud vero proximum esse existimabis, veterem urbem et novam non plane eodem quidem loco quaerendam esse (cum diserte testetur Makrizius, nullis vestigiis urbis, excepto templo majore, relictis, novam urbem paullatim ex tuguriis a meridie veteris oppidi positis succrevisse), at situm tamen utriusque perparum differre et novam Dimyatham sensim aliquam partem soli, in quo vetus steterat occupasse. Exstat adhuc, uti ex Tab. Niebuhriana VII apparet, in media urbe locus al Minschie, vel potius al Manschiyyeh (المنشية) appellatus, quod cum ipsum nomen novae Dimyathae ab initio fuerit, ab eo principio aedificia partim in septentrionem, ubi nonnulli veteris urbis vici fuerant, partim in meridiem et loca nullis ante domibus frequentata, se extendisse verosimile est. Quod ergo nova Dimyatha, teste Niebuhrio l. l. p. 66, duo circiter milliaria Germanica, vetus tantum unum milliare ordinarium a mari remota fuerit, id potius cum nonnullis recentioribus Geographis et Itineratoribus ex mutata litoris Aegyptiaci, novis idemtidem accessionibus aucti, natura, repetendum existimo, quam ex diversitate situs veteris Dimyathae et novae, quod cum aliis facere placuit, tum nuper admodum Michaudio, qui in Tabula Dimyathae et locorum circumjacentium, Historiae suae bellorum a cruce signatis gestorum (T. III. p. 455) inserta, duas urbes a se invicem insigni intervallo separavit.

(36) *Turrisque jam quartum mensem hostibus repugnabat*] Haec primo adspectu mirifice confirmari videntur verbis Jacobi de Vitriaco, *Epist. II ad Honorium* l. l. p. 291 E. *Mansimus autem in praedicta insula quatuor mensibus detenti in expugnatione turris cujusdam mirae fortitudinis.* At nihilominus audacter affirmamus illam temporis designationem veram esse non posse. Quippe scriptae fuerunt hae, quas laudavimus, Jacobi literae in castris apud Dimyatham, die octavo post Ex-

Digitized by Google

Exaltationem S. Crucis, i. e. die 22 Septembris, quo exeunte quatuor demum menses post Francorum adventum excesserant. Turris autem jam diu ante in deditionem venerat, die scil. S. Bartholomaei, i. e. 24 Augusti, ut idem auctor testatur in Epist. I. p. 289 A. consentiente Oliverio c. 9. p. 1404, vel biduo post, ut ibidem p. 1405 traditur; quod igitur non quatuor mensibus, sed nondum tribus post Francorum adventum exactis, accidit. Itaque nos horum, quos laudavimus, auctorum testimonium sic cum historiae fide conciliari posse existimamus, si illos magis de toto tempore, quod in irrito transeundi conatu e regione urbis transegerunt, quam de sola turris oppugnatione locutos esse dicamus. Hoc certe de Ibn Ferato admodum verosimile est, in cujus excerpto apud Michaudium T. VII. p. 770 sequentia leguntur: *Ceux ci* (les Francs) *combattirent toujours avec vigueur; mais toutes leurs machines furent brisées et ils restèrent ainsi pendant quatre mois.*

(37) *Al Malekus al Adelus copias alias post alias e Syria submisit*] De his auxiliis ab al Maleko al Adelo missis tacet Oliverius, sed eadem memorat Jacobus Vitriac. in *Epist. II.* p. 293, qui locus in paucis est notabilis et nostro illustrando aptissimus. Cum enim antea cruce signatos adhuc in Syria versantes, virium suarum imbecillitatem sentiens, magis observasset quam oppugnasset, nunc etiam auxiliis submittendis Al Maleki al Cameli conatus parum juvare potuisset, nisi arces Syriacas nonnullas praesidiis nudasset, militesque illos in Aegyptum misisset. Hoc igitur in arce Thaboriensi fecisse al Adelum docet Jacobus l. l., quam, praesidiariis partim Damascum, partim ad filium al Camelum missis, funditus evertit una cum Djabala aliisque castellis quinque, inter Tyrum et Damascum sitis, in quibus omnibus idem obtinuisse existimo. Neque enim caussam aliquam reperimus, ob quam vir prudentissimus istas arces deleverit, nisi hanc, quod militibus, qui eas custodiverant, ad bellum Dimyathense confluentibus, se illis adversus Francos Palaestinenses tuendis imparem esse senserit.

(38) *Castra movit ad Alekin, ubi — obiit*] Locum Alekin appellatum, nusquam reperio, nisi apud Bar Hebraeum p. 462, Nuweirium, loco infra citando, et Abulfedam in *Ann. Mosl.* T. IV. p. 266, ubi al Adeli obitum narrans Alekinum colli Afikae (عقبة افيق) vicinum esse dicit, unde situs quodammodo innotescit. Nam افيق his verbis describitur in Lex. Geogr. قرية من حوران في طريق الغور في اول العقبة المعروفة بعقبة افيق ينزل في هذه العقبة الي الغور وهو الاردن وهي عقبة طويلة نحو

نحو ميلين, *Vicus Hauranis in via vallis Jordanicae in principio collis, qui Akabah Afik appellari solet, unde in al Gour, sive Regionem Jordanicam descenditur. Hic collis in longitudinem patet duo milliaria.* Quae cum ita sint, al Adelum ex Mardj al Soffar, ubi stativa habuerat, versus austrum castra movisse intelligimus. Dies autem septimus Djomadii posterioris, quo mortuus est al Adelus, in anno astronomico respondet diei Augusti trigesimo, in civili vero eidem mensi exeunti, et feriae sextae, quem computum Nuweirium secutum esse infra videbimus. Sunt vero qui tradant, Sultanum ex concepta propter turrim Dimyathensem ab hoste captam aegritudine e vita migrasse (cf. imprimis Jac. de Vitr. *Epist. II.* in fine, et Nuweir. infra). At si consideremus, turrim quinque tantum dies ante obitum Principis in manus Francorum venisse, illius cladis nuntium in al Adeli castra, dum ipse adhuc viveret, vix afferri potuisse fatebimur. Interim Christiani scriptores et Ibn al Atsir l. l. hac in re tradenda saltem rerum gestarum ordinem servarunt, quem male deseruit h. l. Makrizius, prius de al Adeli morte, quam de capta turri referens. Illius errorem etiam auxit Ibn Ferat l. l. p. 770 sq. (quantum ex Gallica illius versione judicare possumus) cum turrim propter turbas, in Ayoubidarum imperio ex al Adeli obitu ortas, facilius captam fuisse affirmet. Imprimis vero reprehendenda est insignis negligentia Michaudii, qui non minus in loco erravit, quam reliqui in designando tempore hallucinati sunt, haec contra omnium scriptorum auctoritatem memorans in *Hist. des Crois.* T. III. p. 440. *Vers le même tems Malek-Adel mourut dans la capitale de l'Egypte.* Neque vero accuratior est narratio Continuatoris Willermi Tyrii, qui moenium Hierosolymarum eversionem aperte al Adelo tribuit, eumque cum Christianos Dimyatham obsidere audiret, in Aegyptum venisse scribit cum filio al Camelo (Loquemel), et cum aliquamdiu apud Dimyatham haesisset, ibidem loci esse mortuum. Cf. c. 70. p. 683. Caeterum de al Maleki al Adeli obitu, deque dolo, quo patris sui interitum eousque occultare studuit al Malekus al Moadhdhemus, donec Damascum rediisset, ex scriptoribus, quos equidem novi, nemo accuratius exposuit quam Nuweirius, cujus locus huc pertinens dignus est, qui hac occasione in lucem proferatur. *Mortuus est* (inquit) *al Malekus al Adelus die Veneris septimo Djomadae posterioris A. 615 apud Alekin. Cum enim a Francis recessisset, Damascumque se contulisset, extra urbem aliquamdiu substitit aegrotans. Cum vero arcem catenae in confiniis Dimyathae captam esse audiret, pectus manu percussit et maximopere com-*

Digitized by Google

commotus est, nec moeror ipsum reliquit, donec moreretur, annos natus unum et septuaginta. — Decessus illius nemini cognitus fuit nisi Kerimoddino Khalatensi. Aberat enim filius al Malekus al Moadhdhamus ka Neapoli, et cum Francis hoc ipso mense conflixerat, eosque devictos magna strage affecerat, captosque centum Templarios inversis vexillis in Hierosolymitanam urbem introduxerat, dein castra fixerat Neapoli. Huc ergo epistolam misit (Kerimoddinus) *in ala columbae, ut ipsum eorum, quae accidissent, certiorem faceret. Postridie* (*die Saturni*) *Alekinam venit al Malekus al Moadhdhamus, et fisco in suam potestatem redacto, patris mortem occuluit, eumque lecticae imposuit, addito ministro, qui eum aëre admisso idemtidem refrigeraret* (يروح عليه), *sublatisque ex parte lecticae velis herum aegrotum esse significaret. Sic Damascum pervenerunt feria prima, hominibusque eum, qui in lectica erat, cum obsequii significatione salutantibus, dum servus nutu quodam suo Sultano ostendere videbatur, quinam eum salutarent, arcem intrarunt. Referunt Schehaboddinus Abou Schamah, et Schemsoddinus Aboul Modhafferus Sebt ibn al Djouzi in suis Chronicis hoc tum accidisse memoria dignum, quod frustra amiculum ferale Adelo* (tanto quondam Principi) *quaerentes, eum cidari al Fakihi Ibn Fares gossypioque ex cervicali detracto involverint, et instrumento, quo sepulcrum ipsi foderent, deficiente, Kerimoddinus ligonem ex fossa* (arcis) *furatus sit, quo tumulum ipsi facerent. Sepultus jacuit in arce Damascena donec sacellum sepulcrale ipsius perfectum esset in vicinia collegii ab eo aedificati. Magno autem dolore al Malekus al Moadhdhamus a patre sepulto surrexit, vestesque conscidit caputque percussit et faciem, patrisque obitu manifestato per triduum consolationibus accipiendis vacavit.* Huc usque Nuweirius, qui in ipso narrationis fine varias al Adeli virtutes commemorat, inter quas hoc maxime laudandum videtur, quod vectigalia et exactiones injustas, quantum ejus fieri posset, abrogaverit. Cujus beneficii magnitudo ex eo intelligi potest, quod soli urbi Damascenae 100000 aureorum annui tributi remissa sunt.

(39) *Catenasque diffregerunt ipsi alligatas*] Oliverius et reliqui scriptores, qui magnam partem illius auctoritatem sequuntur, de fracta post captam turrim catena nihil referunt, nec etiam necessarium fuit catenam frangere, quam arce in potestatem redacta facile solvere poterant, nisi forte quis putet catenam adeo firmiter rupi, cui turris insistebat, vel muro turris, infixam fuisse, ut nonnisi per vim disrumpi potuerit. Adstipulatur tamen Makrizio (praeter Bar Hebraeum in *Chron. Syr.* p. 458 f.) Willermi Tyrii continuator c. 68. p. 683. *Quant les Crestiens* (inquit) *orent pris*

Digitized by Google

pris cele tor, si la garnirent et brisèrent la chaene. Ergo si isti scriptores verum dixerunt, res sic intelligenda videtur, catenam, si amica navis portum peteret, laxari quidem potuisse ab oppidanis turrim urbanam custodientibus, non item a turris Niloticae excubiis, quarum hoc unum officium erat, ut catenam tuerentur, non item ut a transeuntibus portorium exigerent. Sed haec leviora sunt; in eo certe optimi et antiquissimi quique scriptores conspirant, *capta demum turri* Christianos catenae sive solvendae, sive frangendae, potestatem habuisse. Dissentit vero Joannes a Leidis Carmelita, seculi decimi quinti scriptor, cujus auctoritatem multi sequuntur; dissentit etiam popularis Belgarum, sive potius Harlemensium, traditio, ignota ut plurimum exteris, sed inter nostrates adeo celebrata, ut, hac occasione data, a nobis silentio praetermitti nequeat, sed peculiarem sibi sedem et locum in nostra disputatione postulet. Qua de re ut melius lectores judicare possint, primum integrum locum Joannis a Leydis, e Chronico illius Belgico, a Francisco Sweertio in Annalium Belgicorum Tomo primo Francofurti A. 1620 edito, depromtum, exscribemus; dein alia ejusdem veteris traditionis vestigia persequemur, postremo nostrum qualecumque de tota re judicium subjiciemus. Joannis a Leydis verba igitur, quae Lib. XVIII. c. 20 leguntur, haec sunt: *Imperator autem, plerisque munitionibus eversis, Damiatam urbem Aegypti pulcherrimam circumobsedit, ad quam subvertendam multa tormentorum genera diversis cum ingeniis adaptavit. Sed hoc minime profuit; praesertim cum et eadem urbs humanis quasi viribus fuit inexpugnabilis, et omni parte praeterquam ad portam* (l. *portum*) *inaccessibilis: ab utraque vero parte maritimi portus, castra constituta prominebant, quae cunctis introëundi aditum securum navigantibus denegabant. Turres etenim alterutrum* (?) *ex adverso cum vectibus aeneis et cathenis subter aquam latentibus combinabantur. Itaque civitatenses non assultum urbis, nec hostiles incursiones aliquo modo verebantur. Interea Wilhelmus de Hollandia secundo genitus praefati Florentii Comitis Hollandiae, cum Haerlemensibus confoederatus est, qui coaptata nova classe, patrem suum ad terram sanctam cum armigeris electissimis assecutus est. Intelligens autem idem Wilhelmus situm et statum Damiatensis urbis, ex industria sui ingenii fecit in modum sarrae navem suam per aquam findere, exspectans ad tempus ventum sibi prosperum. Tandem flatu et vento adoptato ventorum flante, praefatus Wilhelmus ratem aptavit, vela tetendit, et portum expetivit. Et ecce mole velificantis navis, et acumine serrae corrodentis vectes aeneae disruptae sunt, et cathenae fer-*

Digitized by Google

ferreae dissolutae sunt: ita quod Damiatensis urbis patefactus est aditus, et Christianorum navalis intromissus est exercitus, caesis paganis, Turcis, Agarenis, cum caeteris gentilibus universis. Fredericus quidem Imperator attendens, quam eximiam urbem per industriam Wilhelmus de Hollandia cepisset, ac inestimabiles opes in ea invenisset, ex imperiali munificentia donavit principibus Hollandiae sub Caesaris vexillo habere propugnatorium, ac etiam ipsum Wilhelmum in militem ordinavit. Insuper tribuit Haerlemensibus quatuor stellas in vexillo rutilo pridem deportantibus, argentei coloris deferre gladium. Patriarcha vero Jerosolymitanus donavit etiam Haerlemensibus deferendum triumphale signum Sanctae Crucis, ex eo quod tanta honorificentia constituti sunt in terra promissionis. Consentit fere ad verbum Joannes a Leydis cum veteri quodam Chronico inedito, Belgico sermone conscripto, unde sua depromsisse videtur. Locum illius Chronici huc pertinentem edidit van Oosten de Bruyn Vir Doct. in *Historia Harlemensi*, vernaculo sermone edita T. I. p. 42, ex quo intelligitur Guilielmum, non cum classe, sed cum una navi recens et eleganti cum artificio constructa (*mit eenen nuwe scepe bequamelic gemaket en dair toe gevoeget*), patrem suum secutum esse, ita ut Joannes a Leydis in suo exemplo, articulo omisso, *mit nuwe scepe* legisse videatur. Jam illis, quae ex Joanne descripsimus, adjungenda sunt alia, cum ab Hadriano Junio in *Batavia* p. m. 434, et Renero Snoio in *Rerum Batavarum* l. VI (in *Rer. Belg. Annal.* Sweertii T. II. p. 75 sq.) tradita, tum vulgari fama ad hodiernum usque diem propagata, nec omissa a Viro Doct. van Oosten de Bruyn p. 41 et 47: e quibus Junius observat ad suam usque aetatem Harlemaeam pubem, in rei bene gestae memoriam, Calendis Januariis in publicis supplicationibus circumtulisse *naviculas serratis proris instructas imaginesque victoriae argumenta bacillis suffixas.* Tum addit: *Certiorisque fidei testimonia supersunt ex aere Corinthio tintinnabula, seu aeramenta bina, quae in editissimo turris fastigio suspensa arguto tinnitu late perstrepunt, a re Damiatica nuncupata.* Pompam Calendis Januariis circumduci solitam commemorat etiam Snoius, sed nonnihil discrepat a Junio, quem aliquantum aetate superat. *Harlemi*, inquit, *Calendis Januariis recurrentibus, soliti pueri hanc circa Damiatam victoriam referre, palmulis plateatim discurrentes, seu quod tum victoria essent potiti, seu reduces Zantvordiae litora, milliario ab urbe distantis, applicuissent.* Obsolevit deinde illa ineuntis anni solennitas, at hodieque in templo Harlemensi suspensa cernuntur navium serratarum simulacra, et quotidie hora nona

Digitized by Google

vespertina tintinnabula, Dimyashina appellata, per horae dimidium urbem personant; licet recte animadvertat Vir Doct. van Oosten de Bruyn, et naves in templo suspensas novae formae atque originis, ac pro veteribus substitutas, quin tintinnabula etiam recentia esse, e veteribus conflata, eorumque nomen servantia. Haec igitur sunt, quae a scriptoribus paullo ante memoratis de toto isto negotio referuntur. Nunc denique videamus quid de illa traditione verosimiliter existimandum sit; qua in disputatione aliorum, rem sive tueri, sive oppugnare tentantium, at nihil, quod operae pretium sit, proferentium, opiniones silentio praetermittemus, et solam nostram sententiam, idoneis utcumque argumentis confirmatam, commemorabimus. Jam si illius rei ab Harlemensibus apud Dimyatam gestae narrationem rite consideraverimus, omnino fatendum est illam miserum in modum deformatam et corruptam ad nostram notitiam pervenisse, quod sane nemini mirum videri poterit, qui haec forte ducentesimo demum anno post captam Dimyatham scripto consignata esse meminerit. Quod navis summa cursus sui vehementia catenam perruperit, id per se quidem nihil habet fide indignum; quod autem serratâ prorâ eandem dissecuerit, id, sicuti probatissimi quique scriptores dudum animadverterunt, naturae legibus contrarium est. Ergo fuerunt, qui existimarent posterius quidem repudiandum esse, prius vero illustrari et confirmari posse ex aliarum rerum prorsus similium comparatione. Sic enim cum Ruyterus Belgicae classi praefectus Tamisam fluvium A. 1667 adscenderet, et Anglorum navalia deleret, catenam, quam hostis tetenderat, navis impulsu disruptam esse; idemque facinus ausos esse Bremenses, cum Anno circiter 1250 Archiepiscopus Gerardus Visurgim catena clausisset, ut a navibus portorium exigeret. (Cf. Brandt in Vita Ruyteri Belgice conscripta p. 575, Ubbo Emmius *Rerum Frisic. Hist.* Lib. X. p. m. 413 sq., Van Oosten de Bruyn l. l. p. 48.) Quibus tertium exemplum adjungere possumus imprimis opportunum, cum ex eo luculentissime intelligatur, qua ratione turris Niloticae a Christianis captae catenaeque fractae historia lapsu temporis corrupta sit. Respicimus ad portus CPolitani situm, illiusque a Cruce signatis, cum A. 1203 prima vice urbem caperent, occupati historiam. Nempe ut portus Dimyatheni, sic etiam Byzantini, introitum duae arces tuebantur, Acropolis et turris Galatae, quas catena portum claudens conjungebat. (Cf. Du Cange *Constantinopolis Christ.* L. I. C. VI sq. p. 9—11.) Huc ergo, uti omnes testantur, tota Latinorum vis in ipso obsi-

Digitized by Google

sidionis initio incubuit. At vide quomodo sensim sensimque a veteri sua simplicitate historia desciverit, et quantopere oculatorum testium narratio differat a posteriorum fabulis. Incipiamus a Villehardouino et Niceta, quorum alter inter obsessores, alter inter obsessos fuit. Villehardouini igitur C. 83 haec verba sunt: *De nostre Baron fu tels li conseils, que il se hebergeroient sor le port devant la tor de Galathas, ou la chaeine fermoit, que movoit de Constantinople. — Et bien virent nostre Baron se il ne prenoient cele tor et romprient cele chaeine, que il estoient mort et mal bailli.* Deinceps in sequentibus solius turris captae mentionem facit, et postremo subjungit C. 84. *Ensi fu li chastiaux de Galathas pris et le porz gagnien de Constantinople par force.* Jam cum istis comparemus Nicetam in *gestis Alexii Comneni* Lib. III. c. 10, qui Latinorum impetum sic describit: *κἀντεῦθεν ἡ μὲν ἱππικὴ στρατία ἴστο βραχύ τι τῆς θαλάσσης ἀπέχουσα· αἱ δὲ νῆές τε καὶ οἱ δρόμωνες καὶ ἐπὶ τούτοις τὰ πλοῖα πρὸς τὸν ἰσέχοντα κόλπον μετέβαινον. ὡς δ' οἱ μὲν ἐπίγειοι, οἱ δ' ἐνάλιοι τῷ φρουρίῳ ἐπέστησαν, ἐν ᾧ εἶθισται Ῥωμαίοις σιδηρᾶν βαρυτάλαντον κποδέειν ἄλυσιν, ἥνικα πλοίων πολεμίων ἐνστάσή τις ὄφοδος, εὐθὺς προσβάλλουσι τῷ ἐρύματι — εἶτα καὶ αὐτῆς διαβήσεσθαι, εἴσω ξύμπας ὁ πολέμιος στόλος εἰσρύεται.* Ex amborum igitur Historicorum accurata consideratione hoc intelligitur, turrim Galatae et catenam simul aggressos esse Francos, hanc classe, illam pedestribus copiis, atque adeo plane incertum videri, utrum a classiariis, an ab illis qui turrim occupaverant, catena disrupta sit. At ista narrationis simplicitate contenti non fuerunt posteri, quibus nimiam fidem habuerunt Gibbonus *Decl. and fall of the R. E.* C. LX. T. XI. p. 187 sq. edit. Lips. et imprimis Le Beau *Hist. du bas Emp.* T. XX. Liv. XCIV. p. 424 sq. Nam primus quidem annis circiter centum et quadraginta post captam CPolin exstitit Andreas Dandulus, qui in Chronici libro X. c. III. p. 322 (Muratori *Script. Rer. Italic.* T. XII) decessorum suorum narrationem augeret, et catenam navis Venetae impulsu fractam esse diceret. Quod etsi propter aequalium scriptorum silentium haud temere admittendum esse censemus, aliquam tamen habet veri speciem, quam prorsus obliteravit Blondi *de gestis Venetorum* a Du Cangio ad Villehardouinum p. 289 laudati stultitia, qui catenam ingenti forfice ad proram navis aptata, succisam tradit. At haec ipsa historiae corruptio nobis ostendit, quid de fabula Dimyathena cogitandum sit. Nam sicut forficem navi Venetae, sic serram navi Hollandicae, falso adjunctam esse statim agnoscimus, nec in eo subsistimus, sed ut in Constantinopolitana, sic etiam in

Digitized by Google

Dimyathena obsidione, catenam navis opera fractam esse parum verosimile nobis videbitur, cum illud minime necessarium foret, et a militibus turrim expugnantibus facile perfici posset. Sic ergo in utroque exemplo ad veteris narrationis simplicitatem sponte relabimur, quae in belli Dimyatheni historia tanto facilius eum in modum corrumpi potuit, quanto plus ad turrim expugnandam portumque Dimyathae aperiendum contulerit machina navalis, Teutonicorum et *Frisonum*, (quo nomine tum temporis saepe populares nostri universe designabantur) et opere confecta et sumtibus. Neque vero etiam alia nobis argumenta desunt, quae ut insignem traditionis corruptionem demonstrant, ita illius labis probabilem aliquam caussam ostendunt. Nam quod ad prius attinet, Joannes a Leydis non tantum in rei ratione describenda, sed etiam in illius tempore definiendo adeo a vero aberravit, ut expeditionem istam non ad annum 1218, sed 1188, referret atque ergo obsidionem Acconensem cum Dimyathena confunderet. In eundem anachronismum delapsi sunt Belgicae historiae scriptores vetustiores plerique. Erroris autem origo quaerenda est in quadam duarum istarum expeditionum similitudine. Utrique enim Guilielmus Hollandiae princeps interfuit, in priore patrem secutus, in posteriore Comitis potestate subditos secum trahens. Utrique etiam Fredericus Imp. nomen dederat, priori Barbarossa, qui fidem promissi exsecutus est, posteriori Fridericus secundus, qui auxilia quidem misit cum vicario suo Bavariae Duce, ipse vero in Orientem eo quidem tempore non transiit. Quis igitur non facile ferat Joannem, ducentis annis re gesta juniorem et vix mediocriter eruditum, hac falsa specie in errorem abductum fuisse? Quod si illud denique quaerimus, de quo exponendum restat, quae caussa eundem permoverit ut nostratibus, Harlemensibus maxime, belli feliciter confecti gloriam adscriberet, item an jure illud fecerit, et quare contra aequalium scriptorum testimonium, navis catenam frangentis opera portum apertum fuisse dixerit; apto et opportuno responso minime carebimus. Nempe ut priori quaestioni confestim occurramus, nulla certe natio ex omnibus, quae bello Dimyatheno interfuerunt, plus ad rerum gestarum successum, sive opera sua, sive sumtibus ferendis, contulit quam Frisiaca; quae cum ea tempestate Guilielmo I. Hollandiae Comiti pareret, cumque maxima pars auxiliorum ab eo Principe in Orientem ductorum e Frisia venisset, rationi consentaneum est, ut Hollandos, quorum multo minor numerus nomen bello sacro dedisse videtur, Frisiorum nomine com-

Digitized by Google

comprehensos fuisse, atque adeo, quidquid de Frisiis in illius belli Historia refertur, id aliqua ex parte de Hollandis etiam intelligendum esse putemus. Jam si singula scrutemur quae Cruce signati Frisiis, cum ingenti classe (Godefridus enim Mon. p. 385 octoginta naves Frisiorum memorat) ad belli societatem venientibus, debuerint, multa profecto laude dignissima reperiemus. Cum enim Christiani in terram Aegyptiam exscensuri essent, unius juvenis Frisiaci, Saracenum equitem nihil tale timentem spiculo ex equo deturbantis, virtute et dexteritate factum est, ut nostri, nemine amisso, hostibusque in fugam versis, castra ponere possent (Oliverius C. 7. p. 1402). Mox Frisii commilitonibus suis Nilo audacter transeundi hostilisque ripae aggrediendae exemplum dederunt. Nec minor eorum opera in expugnanda turri Nilotica fuit. Nam praeter machinam, qua turris capta est, cum Teutonicis conjuncti navem propugnaculis munitam et balistariis intus locatis plenam, in arcem pontemque vicinum immiserunt, Christianisque cominus in turris propugnatores ingruentibus, juvenis quidam Frisius, (quem Hajonem Fevelingium appellat Ubbo Emmius Lib. VIII. p. m. 124) flagello, quo granum excuti solet, sed catenis connexo, hostes a dextra et sinistra feriens, signiferum Sultani prostravit, ablatoque vexillo primus victoriae auctor fuit. (Oliv. C. 8 sq. p. 1403 sqq.) Nec minus per reliquum belli tempus virtus et liberalitas Frisiorum eminuit, de quorum laudibus, ne singula commemorem, unum adhuc locum Oliverii, testis locupletissimi, laudasse suffecerit, C. 41. p. 1439. *In distributione turrium ac domorum gens illa laudabilis, obediens et strenua, quae a principio cum magna virtute Damiatam applicuit, aut nullam habuit sortem, aut vilem et ultimam, cum tamen de classe cogonum quos adduxit, victualibus et armis castra fidelium repleta fuissent, turris fluminis capta, transitus ad oppositam ripam praeparatus, pons superior et inferior compositus, specula Turonis constructa, moenia fossati munita.* De insignibus igitur popularium nostrorum universe, imprimis Frisiorum, in bello Dimyathensi meritis nulla dubitatio est, quamvis omnes, excepto Joanne a Leydis, de Harlemensium virtute taceant. Nec ego sane reperio cur iste laudem, Frisiis denegatam, Harlemensibus tribuerit; nisi forte civibus, inter quos vitam agebat, abblandiri voluerit, aut quod omnino verosimilius esse existimamus, nisi complures Harlemenses principem suum (qui ea tempestate Harlemi degeret, aulamque condidisset), in Orientem secuti sint, in quos deinceps, ut primarios Comitis socios et ministros, ut fieri solet, maxima rerum gestarum laus, sive jure,

sive

Digitized by Google

sive injuria, redundarit. Quod autem Joannes noster catenam navis impetu fractam esse scribit, id, licet procul dubio numquam acciderit, at manifeste tamen, ut equidem censeo, intelligitur unde originem duxerit. Cum enim Sultanus amissa turri Nilotica flumen paullo supra civitatem navium ponte clausisset, *Teutonici et Frisones* (ut Oliverii verbis utar C. 12. p. 1408) *zelo justae indignationis accensi, cum minori navi, cujus ministerio turris capta fuit, pontem viriliter invaserunt, auxilium non habentes nisi de coelo; pauciores autem viri quam decem de gente praedicta contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem adscendentes, spectante multitudine Christianorum et hanc audaciam plurimum extollente, fregerunt eundem et sic cum quatuor navibus, super quas pons erat fundatus, reversi sunt cum triumpho, liberam viam et apertam sursum velificantibus relinquentes.* Quae res talis profecto erat ac tanta, ut haud ita facile ex memoria hominum excidere posset; cumque et turris capiendae, et pontis frangendi, unum idemque consilium esset, ut nempe flumen Christianorum navibus pervium facerent, et utrumque a Frisiis una eademque navi perfectum fuisse legamus, neminem amplius existimamus esse futurum, qui duas res, sibi invicem adeo similes, lapsu temporis in unam fabellam coaluisse miretur, per traditionem ad posteros propagatam. Habes igitur nostrum qualecumque et de ipso facinore judicium, et de Harlemensium in isto negotio gerendo laudibus, ex quo sponte etiam intelligitur, quid de festa navium Kalendis Januariis circumlatione, cogonibusque et tintinnabulis in templo Harlemico suspensis ex nostra opinione statui debeat. Quid enim magis exspectari poterat, quam hoc quod revera accidisse videmus, ut nempe rei, popularium maxime nostrorum opera sumtibusque perfectae, memoria, festo die, publico monumento, et tintinnabulorum strepitu Harlemi in ipsa Comitis sede solenniter celebraretur, etiamsi tanti facinoris gloria minus ad ipsos oppidanos pertineret, quam tamen, cum Comitis aula alio translata esset, ipsae vero cerimoniae, quas Princeps instituerat, mansissent, paullatim sibi solis vindicare coeperunt. Quod denique addit Ioannes a Leydis Guilielmum virtutis gratia equitem creasse, et Hollandiae Principibus concessisse Imperatorem, ut sub Caesaris vexillo militarent; item ab eodem et Patriarcha Hierosolymitano honoris caussa nova armorum insignia Harlemensibus donata esse; id per se quidem nihil habet quod repudiandum sit, nisi forte ex monumentis fide dignis, et sigillo urbano insignitis, probari possit insignia ista aut bello Dimyatheno antiquiora esse, aut postea demum usurpari coepisse. Modo res a Frederico Barbarossa, cui il-

Digitized by Google

tam Joannes tribuit, ad Fredericum Secundum transferatur, qui, licet ipse expeditioni non interfuerit, auxilia tamen cruce signatis submisit, nec quidquam antiquius habuit, quam ut feudales Regni Germanici Principes ea tempestate defectionem minantes summa honoris et benivolentiae significatione in officio retineret. Quod cum ageret, primum ipsum Comitem ornavit, dein cum nec omnes, et singulos debitis honoribus prosequi posset, nec in promiscua Hollandorum Frisiorumque turba satis agnosceret, cujus tandem oppidi cives prae caeteris laudem meruissent, eam imprimis urbem condecorandam esse censuit, quam Comes ipse regni sui sedem esse voluisset.

(40) *Magnum navium pontem — collocavit*] Ubi isto ponte Nilum claudere conatus sit al Malekus al Camelus, non tradit Makrizius. Quantum vero ex admodum imperfectis Christianorum narrationibus judicare possumus, ista munitio inter urbem et *casale*, i. e. al Adeliyyeh collocata fuit, et non minus invadendis Francorum castris quam claudendo flumini inserviit. Audiamus Jacobum Vitriacensem in *Epist.* III. p. 296. C. *Non longe post tempus cum quadam die fecissent quemdam pontem in superiore parte fluminis, ut ad nos transirent Saraceni, ex militibus nostris occurrentes plus quam duo millia interfecerunt.* Qua de re etiam loqui videtur in *Hist. Orient.* L. III. p. 1135, ubi per biduum, diebus festis S. Demetrii et Dionysii, i. e. die 8 et 9 Octobris, castra Christianorum a Saracenis oppugnata fuisse dicit, priore conflictu fugatos fuisse hostes *ad pontem, quem*, inquit, *procul a nobis in superiore parte fluminis construxerant*, postridie cum galeis impressionem fecisse, et in flumine mersos esse circiter mille quingentos. Jam si istis Jacobi locis (ex quorum posteriore corrigendus est error Oliverii, festum Dionysii festo Demetrii praeponentis, atque adeo rerum ordinem turbantis) his igitur, inquam, locis si addamus tertium, sive Jacobi, sive Oliverii, ubi de rupto a Christianis ponte agitur, illum non tantum supra Dimyatham, sed inter urbem et al Adeliyyeh fuisse apparebit. Nempe eâdem p. 1135 extr., et 1136, coll. Oliv. C. XII. p. 1408, narrat Saracenos pontem, qui fortasse in ista pugna, cujus paullo ante mentionem fecimus, nonnihil detrimenti acceperat, reparasse, modica apertura relicta, ut naves sine periculo adscendere non possent. Ergo Frisones et Teutonici unâ cum navi, summa fortitudine, munitionem aggressi, pontem fregerunt, navibusque quatuor, supra quas fundatus erat, abductis, Nilum classi Francorum patefecerunt. Quibus expositis reliqua his verbis exsequi-

 tur.

Digitized by Google

His itaque gestis, Saraceni periculum, quod iis imminebat, attendentes, ripam nobis oppositam — munierunt — nobis spem auferentes ibidem transeundi. In casali vero, quod fere per milliare distat a civitate, ubi haec nova munitio terminabatur, per transitum fluminis immersiones navium fecerunt cum palis infixis gurgiti. Quae si rite expenderimus et consideraverimus, Sultanum rem suam egregie et summo cum consilio gessisse fatebimur. Cum enim turres expugnatae et catenae disruptae essent, quaecunque potuit impedimenta Francis transiturus objecit. Et primum quidem sentiens Francos ante ipsam Dimyatham, propter summam munitionem urbis, transitum non esse tentaturos, sed paullo superius, ubi ripa erat praesidiis vacua, ibidem loci ubi primum illud prae Francorum vicinitate fieri poterat, pontem navium collocavit, deinde cum copiis traductis Christianorum castra invasisset et repulsam passus esset, veritus ne hostes exemplum suum imitati, eadem via in ripam orientalem transirent, mediam navem exemit, modicamque aperturam, ut Jacobus noster ait, reliquit. Postremo cum pontem etiam disruptum, atque adeo totam ripam orientalem hostium incursionibus expositam esse videret, hanc ingentibus operibus communivit usque ad al Adeliyyam, ubi hucusque stativa habuerat, ibique navibus vallisque acutis in medium flumen demersis, Francorum classem, ulterius procedere conantem, quasi indagine clausit. En naturalem rerum gestarum ordinem, quem cum bene cognitum haberet Jacobus Vitriacensis, inexcusabili plane incogitantia invertit *Epist.* III. l. l. p. 295 E. et 296 C. prius naves in flumen demersas, dein pontem factum esse statuens.

(41) *Ergo hostes canalem — Azrak appellatum — aperuerunt*] Illius etiam canalis a Francis excavati mentionem faciunt Ibn al Atsir l. l. p. 538 et Ibn Ferat l. l. p. 771 et inter Christianos Bar. Hebr. in *Chron. Syr.* p. 459, item Jacobus de Vitriaco, cujus locum huc pertinentem nota proxime sequenti producemus. At primarius illius belli auctor Oliverius Scholasticus, uti facere omnino solent illius aevi scriptores, rem tanti momenti, quam imprimis Christianorum conatibus profuisse sciret, tanta levitate et negligentia tractavit, ut in *Hist. Damiatina*, eo, quo oportuisset, loco illius ne mentionem quidem faceret, et de transitu navium ad superiorem partem fluminis hoc unum traderet, Apostolicum legatum illius rei perficiendae primarium auctorem fuisse. *Unde* (inquit) *cogones propugnaculis et castellulis, viris etiam armatis, muniti, cum galeis et aliis navibus, prae-*

Digitized by Google

praescriptas immersiones evaserunt. Multo magis etiam culpandus est Willermi Tyrii continuator, qui (c. 70 sq. p. 683 sq.) tradit Christianos, postquam Sultanus flumen vallis clausisset, secundo vento usos classem summa cum vi in istam munitionem direxisse, et Gualterum Regis Galliae cubicularium navis suae impetu vallos fregisse reliquisque viam aperuisse. Quod ut certissime falsum, ita manifesto ortum est ex confusione illius munimenti cum ponte, quo paullo ante Sultanus Nilum clauserat, et quem Teutonici et Frisii summa cum virtute perruperant. Quamvis autem aliquanto minor Jacobi Vitriacensis, quam reliquorum, negligentia fuerit, at nihilominus tamen ex illis, quae in illius Epistola tertia de fossa a Christianis facta leguntur, nec illius fodiendae caussam rationemque perspicue intelligimus, nec longitudinem, initium finemque discimus. Quibus difficultatibus submovendis unice apta est scriptorum Arabicorum narratio, Francos veterem canalem supra naves ab al Camelo mersas e Nilo ductum et forte rigandis Deltae agris olim destinatum, sive denuo aperuisse, sive ampliasse et ad mare deduxisse, qua ratione naves facile adscenderent, et in Nilum pervenirent apud Bourah, quod e regione al Adeliyyae situm erat. Ibn al Atsir et Ibn Ferat, locum Noureh appellant, quam scribendi rationem, nostra minus verosimilem esse putamus, cum nomen Bourah revera Aegyptium sit, Noureh nusquam reperiatur. At nihilominus maximopere cavendum est, ne quis confundat nostrum Bourah, a Geographis neglectum, cum Bostan Bourah (بستان بورة), de qua in provincia Dimyathensi mentio est in *Tabl. dit. des Lieux*, p. 630. n. 5, quodque in Lex. Geogr. his verbis describitur: بورة مدينة علي ساحل بحر مصر قرب دمياط ينسب اليها السمك البوري, *Bourah, oppidum in litore maris Aegyptii* (aut *in ripa Nili*) *prope Dimyatham, a quo nomen habent pisces al Bouri*, et, uti al Moschtarek addit, العمايم البورية, *cidares Bourenses.* Haec enim Bourah non in Djizeh Dimyath, vel ripa occidentali, sed in orientali, inter Dimyatham et Tennisum jacet, teste Makrizio apud Quatremère, *Mém. sur l'Egypte* T. I. p. 337 (cf. Makrizi MS. 371. p. 313, ubi بورا scribitur.)

(42) *Mox magna vis hyemis milites invasit.*] Quae hic leguntur alieno loco memorevit Makrizius. Neque enim ista, ut ex nostro colligas, post ruptum pontem superatasque navium immersiones acciderunt, sed antea; ut ex Christianorum narratione constat, quos ista aquarum eluvies non minus quam Aegyptios vexavit. Descripsit istam calamitatem Oliverius C. XI. p. 1407, retulitque illius

Digitized by Google

initium (nam toto triduo tempestas saeviit) ad vigiliam Andreae Apostoli, i. e. ad diem 29 Novembris, vel potius ad noctem sequentem. Dein paucis interjectis haec subjungens, *post dictam tempestatem naves parabantur ad transitum fluminis*, de transitu navium inter civitatem et turrim, de rupto ponte mersisque ab al Camelo navibus, exponit. Ab altera parte primo adspectu Makrizianam rationem tueri videtur ejusdem Jacobi auctoritas in *Epist.* III. p. 297, ubi de eadem maris eluvie accuratius referens, *vix aliquis*, inquit, *nostrorum evasisset: sed nostri, ut credo, divinitus inspirati, paulo ante amplum fossatum fecerunt in sabulo, circa castra, non quia maris inundationem, quam nunc advertebant, timuerunt, sed ut naves nostras absque periculo ab inferiori parte fluminis ad superiora per fossatum trahere valerent. Cum autem maris aqua saevientis, et ripas per unum milliare versus castra nostra egredientis — redundaret, quidquid invenit, extra fossatum nostrum, submersit, — alii, qui se infra* (l. intra) *fossatum receperunt, per Dei gratiam evaserunt. Cum autem ad fossatum perveniret, et ab alveo fossati usque ad alveum fluminis perfluat* (l. perflueret) *ruptum est fossatum nostrum ex parte castrorum nostrorum, quibusdam in locis.* Haec verba obscurum Oliverii sermonem illustrant c. XI. p. 1407 ita loquentis: *Et nisi consilio Spiritus Sancti ante provisum fuissēt in fossato, quod in alios usus factum fuerat, mare conjunctum flumini homines cum armentis, naves cum armis et victualibus detraxisset ad hostes.* Quod autem majoris momenti est, accidisse igitur ista res videtur, post fossam al Azrak a Christianis excavatam; cujus sive fodiendae, sive instaurandae caussa si in navibus al Cameli jussu demersis quaerenda sit, secundum Makrizii sententiam pronuntiandum erit. At meminerimus Episcopi Acconensis verba de inchoata quidem, non item de perfecta fossa, intelligenda esse, navesque Francorum longo satis temporis intervallo ista demum via in Nilum fuisse deductas. Hoc primum constat ex magna strage, quam classis Christiana, cum adhuc in ipso introitu fluminis consisteret, ex illo maris aestu ventorumque vi passa est; ita ut, teste Oliverio nostro, quatuor cogones armati et propugnaculis instructi, cum quinta navi, quae inter ipsos haerebat, in oppositam ripam deferrentur et igne Graeco comburerentur, navesque oneratae, *quae in portu maris stabant*, ruptis funibus perirent. Haec igitur nobis sistunt naves Christianas veteri in statione agentes, quas multis interjectis diebus tandem aliquando canalem esse ingressas, Jacobus testatur *Epist.* III. p. 297 E. *Imminente vero quadragesima*,

(l.

Digitized by Google

(l. sexagesima) *misertus Dominus afflictionis populi sui, cum jam naves per praedictum fossatum ad superiora fluminis traheremus, et fluvium absque magna effusione sanguinis transire nequaquam valeremus, immisit Dominus regi et exercitui Aegyptiorum unum* (an enm?) *formidinis aculeum, quod nocte fugiens* (l. fugientes) *castra sua — nobis reliquerunt.* Jam ex istis verbis luculenter apparet, transitum navium per fossam al Azrak non multum praecessisse al Cameli fugam, quae, ut infra apparebit, incidit in noctem ante festum S. Agathae, i. e. diem quintum Februarii. Quapropter etiam necessario *quadragesima* in *sexagesima* mutavimus. Cum enim festum Paschale A. 1219 incidat in diem 7 Aprilis, quadragesima respondebit diei 24 Februarii, at sexagesima diei ejusdem mensis decimo; estque illa prima dies Dominica post fugam al Cameli et transitum Francorum. Quam facile autem LX in XL mutatum sit, omnes intelligunt. Quod si quis roget, quomodo tandem haec omnia inter se concilientur, et quae caussa fuerit, cur Franci, qui fossam adeo mature inchoassent, eandem non nisi complurium mensium intervallo in usus suos converterint; sic respondendum esse censemus. Simulac Franci e regione Dimyathae castra posuissent, illos procul dubio adverterunt fossae illius veteris vestigia, tum ad exercitum contra Arabum incursiones tuendum, tum ad naves in Nilum deducendas opportunissimae. Cum ergo ab altera parte Arabes instarent, ab altera turris Niloticae obsidio in longum traheret, atque adeo Christiani de classe in Nilum introducenda desperarent, ad fossam illam instaurandam se contulerunt. Quod opus cum aliquantum processisset, turris expugnata est. Tum vero, ut Jacobus de Vitriaco queritur, *ad desidiam et inertiam devoluti, more suo differendi negotium caussas praetendebant.* Plurimi, quasi re jam feliciter peracta, in patriam recesserunt. Qui remanserant, partim cum morbis conflictati sunt, partim proximum trimestre spatium (a die 24 Aug. ad 29 Nov.) inani cum Saracenis velitatione consumserunt, nec magnam interea operam fossae impenderunt. Exeunte autem Novembri et proximi mensis initio, ingens illa maris eluvies rerum faciem plane mutavit. Nam hanc et eam terrae partem, quam inter Nilum et fossam sitam Christianorum castra occupabant, et fossam ipsam corrupisse Jacobi verba, quae ex illius *epistola* III produximus, satis declarant. Hinc ergo Christianis cupiditas injecta est castra ex adeo vadosis et periculosis locis in ripam orientalem quantocyus transferendi, et simul necessitas imposita omnem belli vim atque impetum ad pontem disrumpendum convertendi;

Digitized by Google

cum fossam in praesens navibus traducendis inhabilem esse viderent, quam tamen ad extremum, navibus al Cameli jussu in Nilum demersis, prouti ab initio statuerant, perfecerunt.

(43) *Navis Francorum*] In Arabicis legitur مرمة الفرنج, eademque scriptio etiam exstat inferius, ubi de alia navi majore, a Moslemis capta, sermo est. Contra in excerptis Ibn al Atsiri legitur *Mazamas* p. 542, ut interpres in Arabico exemplo مرمة reperisse videatur. Utrum sit verius propter Lexicorum Arabicorum silentium definire non possumus. Verosimilius tamen nobis videtur مرمة ut *Marmot* efferendum, et forte vulgatissima literarum B et M permutatione corruptum esse e Lat. *Barbota*, quae est navis bellicae species, saepius a medii aevi scriptoribus memorata. Cf. Jacobus de Vitr. *Epist.* III. p. 296. Mattheus Paris. ad A. 1219. p. 305. 16. et 307. 5. Du Cangius in *Glossario Latin.* v. *Barbota.* An Christiani scriptores illius navis a Moslemis captae mentionem fecerint, affirmare non ausim, quamvis mihi vero haud dissimile videatur hunc esse cogonem Templariorum, qui, dum classis Francorum inter turrim et civitatem transibat, in Aegyptiorum potestatem pervenit, et cum triginta nautis Francicis et quingentis Saracenis in flumen demersus est. Fatendum tamen est haec, nostro teste, non in transitu, sed dum tempestas adhuc saevlebat, accidisse, quo tempore, ut Christiani affirmant, non una navis, sed quinque in ripam Moslemicam delatae sunt. Utut est, Makrizium certe navis dimensionem mirum in modum auxisse arbitramur. A reliquorum vero narratione adeo discrepat Nuweirius ut nec cum Makrizio, nec cum Christianis, conciliari posse videatur. Illius verba haec sunt: فلما كان في شهر رمضان عمل الفرنج مرمة عظيمة وزحفوا بها في بطشة وقصدوا سور دمياط واحرقها المسلمون, *Mense Ramadhane Franci fecerunt magnam Marmotham, quam super* (vel *cum*) *nave oneraria promoverunt, versus Dimyathae murum cursum dirigentes. At Moslemi eam combusserunt.* Quibus in verbis nisi error scriptoris latet, rem haud satis accurate exponentis, alium fortasse ille casum respexerit, a reliquis omissum et ad priorem partem Decembris (in illius enim die 19 desinit mensis Ramadhan) referendum, quo tempore post maris inundationem Francos novo animi ardore bellum instaurasse supra observavimus. Inprimis vero notanda est verborum Arabicorum ambiguitas, quae non minus de machina navi imposita, quam de navi bellica ab alio navigio praecedenti ducta (*geboegseerd*) intelligi potest. Posterius tamen praeferendum videtur.

(44) *Ve-*

Digitized by Google

(44) *Venerunt — copiae — mense Schawale — ex Hamatha et Halebo*] Mensis Schawal Anni 615 incipit die 22 Decembris A. 1218, et desinit die 19 Januarii 1219. Hamathae vero tum temporis praeerat al Malekus al Mansourus filius Takyoddini Omari, Saladini ex fratre Schahinschaho nepotis, qui A. 587 (Chr. 1191—2) patri successerat, obiitque A. 617 (Chr. 1220—1). Cf. Abulf. *A. M.* T. IV. p. 114 et 290. Halebum vero ea tempestate regebat al Malekus al Azizus Al Maleki al Dhaheri filius, Saladini nepos, qui principatum, patre defuncto, acceperat A. 613 (Chr. 1216—7), filioque reliquit A. 634 (Chr. 1226—7). Cf. Abulf. *A. M.* T. IV. p. 258 et 418.

(45) *Emadeddinus Ahmed — al Hakkari*] Potentissimi hujus Emiri vitam descripsit Ibn Khalicanus, n. 74. Cod. Palm. T. I. p. 86 sqq. Leyd. T. I. p. 105 sqq. qui ipsi praenomen Aboul Abbasi tribuit, cognomenque Ibn al Meschthoubi ea de caussa ipsi adhaesisse dicit, quod pater شطبة i. e. *cicatricem ex ictu gladii*, (balafre) in facie haberet. Nobilissimi erat inter Curdos Hakkareos generis. Haec autem tribus, ut ex Ewlia Turcico Itineratore, laud. in *Wiener Jahrb. der litt.* T. XIII. p. 237 intelligi potest, majoris familiae Curdicae الحميدية tantum pars erat, et habitabat, ut Lex Geogr. testatur, in oppido vicisque nomine الهكّار insignitis, supra Mausalam, prope Djezireh Ibn Omar. Abulfeda vero eum tractum in provincia Schehrzourae, atque adeo aliquanto magis ad austrum collocare videtur. (Cf. Busching *Magaz. für N. H. u. G.* T. IV. p. 238). Eidem praefecturae Hakkaram vicinam facit *Djihan Numa* T. II. p. 31. *Vers. Norbergii*, uti et Amadiam (العمادية), quam arcem, teste Lexico Geogr., munitissimam, a septentrione Mausalae sitam, et ab Emadoddino al Zenkio instauratam et cognominatam (antea enim اسب appellabatur), cum multis aliis castellis Hakkaritarum possederat nostri Emadoddini avus Aboul Haidja (ابو الهيجاء). Cf. praeterea de situ Hakkariae Saint Martin, *Mém. sur l'Arménie*, T. I. p. 141 sq. Pater autem Saifoddin Ali al Meschthoub magno in honore fuerat apud Saladinum, in cujus vita a Bahaeddino conscripta plurima illius mentio reperitur. Praefuit enim copiis militaribus, quae durante obsidione Ptolemaidis a Sultano Saladino in urbem inductae, eandem adhuc per integros sex menses summa cum fortitudine adversus Francos tuitae sunt, a 10 mensis Moharremi ad 16 Djomadae posterioris A. 587 (Chr. 1191—2). Cf. Bahaedd. *V. S.* p. 155. coll. p. 180, quo intervallo, cum ad Gallorum regem exiisset, ut sibi suisque securitatem paci-

sce-

Digitized by Google

sceretur, et ferocibus verbis exceptus esset, summa cum virtute et constantia eum hosti respondisse testatur idem p. 175 sq. Primum a Francis victoribus duriter habitus (p. 209), at mox dimissus (p. 223), summoque cum honore et gaudio a Saladino exceptus, et praesidii Hierosolymitani praefectura ornatus est, quo in munere diem obiit supremum, vicesimo tertio Schawali A. 588 (Chr. 1192—3), quatuor ante ipsum Saladinum mensibus (p. 268), quo tempore cum noster Emadoddinus, natus A. 575 (Chr. 1179—80), annum decimum tertium ageret, haud satis idonea de caussa ab Ibn Khalicano et Makrizio Saladini Emiris accenseri videtur. Naplousi reditus, quos, teste Ibn Khalicano, in *vita Emadoddini*, trecentis aureorum millibus aestimandos, pater acceperat a Saladino, ex parte etiam filio tributi sunt. (Abulf. *A. M.* T. IV. p. 128). Post Saladini mortem Emadoddino casus obtigisse videntur admodum memorabiles, quos tamen scriptores mei brevitatis caussa omittunt, ante insidias al Maleko al Camelo ab Emadoddino structas, aut nullam, aut admodum exiguam, illius mentionem facientes. Quid autem et tum et postea ipsi acciderit, infra aptiore loco commemorabitur, ubi de Emadoddino, al Maleki al Moadhdhami consiliis ex al Cameli castris summoto, apud nostrum sermo est. Ceterum de Emiris reliquis, qui in al Cameli perniciem consenserant, Azzoddino, Asadoddino et Modjaheddino apud alios nihil reperio; duos priores Curdos fuisse cognomina al Hakkari et al Hamidi produnt. Nam حميد, ut supra diximus, nomen fuit ex illius gentis tribubus uni. Cf. praeterea Ibn Haukalum in dissert. Uylenbroekii *de Iraca Persica* p. 7. *Arab.* p. 9 *vers.*

(46) *Al Malekum al Fayezum Ibrahimum*] Pro al Maleko al Fayezo perperam legitur apud Ibn al Atsirum l. l. p. 560 al Malekus al Saidus, quo nomine ex septemdecim al Adeli filiis (tot enim habuit, non quindecim, ut Jacobus de Vitr. p. 1125 testatur) nemo insignis fuit. Cum nostro consentiunt Ibn Ferat l. l. l. l. p. 771 et Bar Hebraeus in *Chron. Syr.* p. 459. Al Malekus al Fayezus Sabihoddinus Abou Thaherus Ibrahimus apud Nuweirium inter al Adeli filios octavo loco ponitur, apud Jacobum Vitr. tertio. *Tertius*, inquit, *filius est nomine Melchipais*, i. e. *graudis* (potius Rex felix) *qui tenet terram, quae dicitur Gemella, in qua sunt* 400 *inter civitates, castra, villas et munitiones.* Quo in loco in magnum errorem incidit Jacobus, al Fayezo ditionem Gemellae tribuens. Gemella enim (sive, ut ab eodem Vitriacensi scribitur in *Hist. Hieros.* C. 92, Chamele, vel ut alii efferunt laudd. a Koehlero ad *Tab. Syr.* p. 104. n. 128 Cameia, Calamela, vel Celamela) Ge-

Digitized by Google

Gemella igitur est Emesa, quae tum temporis parebat al Maleko al Modjahedo Schircouho ibn Mohammed. Cf. Abulf. *A. M.* T. IV. p. 302. Cur Emesam, vel potius ditionem Emesanam, sic appellarint Medii Aevi scriptores sibi non satis constare fassus est Koehlerus. Nobis maxime placet scriptio Vitriacensis *Chamele*, quam ortam esse conjicimus ex Gr. χαμηλὴ, i. e. *humilis*, quod nomen optime quadrat in eam partem Syriae, quae alias κοίλη appellatur. Hoc vero ex Nuweirio disco, al Malekum al Fayezum donatum fuisse a patre al Adelo urbis Kous (قوص) et adjacentium agrorum reditu, eundemque ipsi ab al Camelo fuisse confirmatum. De urbe Kous in Aegypto superiori sita et duodecim dierum itinere a Fosthatha remota vide, praeter Abulfedam *Descr. Aeg.* p. 17 (13) *edit. Mich.* et *Lex. Geogr.*, Champollion *l'Egypte sous les Phar.* T. I. p. 284. Reliqua vero, quae de al Maleko al Fayezo monenda restant, infra memorabimus.

(47) *Adventus al Sahebi Safyoddini ibn Schaker*] Hujus viri, sub al Maleki al Adeli filiique al Cameli principatu apud Aegyptios clari, nulla forte in editis libris memoria exstat, si unum Chrestomathiae Sacyanae locum exceperis infra a nobis producendum: quapropter vitae illius rerumque gestarum brevem aliquam delineationem ex Nuweirio et Makrizio MS. 276. p. 847. MS. 372. T. III. p. 230 proponemus. — Al Saheb (sive Princeps) Safyoddinus Abou Mohammed Abdallah ibn al Mokhalles Aboul Hasan Ali ibn al Hosein ibn Abd al Malik ibn al Hosein ibn al Hasan ibn Mansour Koreischita, cognominatus est Ibn Schaker a cognato materno Kemaloddino Ahmede ibn Schaker, vel, ut Makrizius ait, a vitrico, qui ipsum educaverat, Judice et Veziro al Aāzo (الأعز) Fakhroddino ibn Aboul Abbas Ahmed ibn Schaker. Natus est A. 548 (Chr. 1153—4) mense Safaro, in oppido Damirae (الدميرة) provinciae Aegyptiacae al Garbiyyeh. Primum in notitiam venit al Maleki al Adeli A. 587 (Chr. 1191—2), cum iste a Saladino classi praefectus esset. Dein perpetuus illius fortunae comes fuit, promisitque ipsi sub jurisjurandi religione Al Adelus Aegypti praefecturam, si illius regionis compos fieret. Quo munere deinceps ornatus, Aegyptiorum animos exactionibus non minus quam intolerabili plane superbia a se alienavit. Nam gynaeconitidem habebat Sultanicâ non inferiorem, ipsosque al Adeli filios tantisper ad januam exspectare jubebat, donec eos ad consessum suum admitteret. Qua re etsi ipsi Sultano suspectior esse coepit, at nihilominus tamen tanta fuit Safyoddini auctoritas, ut, cum paullo post inter eum et vitricum simultas exorta erat, isque ad al Malekum al Came-

Digitized by Google

lum confugerat, hunc ad supplicium sibi dedi postularet, idque ipso suffragante al Adelo obtinuisset, nisi literas Safyoddini ad se missas protulisset al Aäzus, quibus al Malekum al Camelum regno Aegypti amovendum, Al Aschrafum Mousam ad illud vocandum esse significaret. Quae cum cognovisset al Adelus hominem Veziratum vitrico relinquere et domi se continere jussit. Acciderunt ista A. 609 (Chr. 1212—3). Mansit hic rerum status usque ad A. 613 (Chr. 1216—7), quo munere amotus, verberibus affectus et in vincula ductus est al Aäzus. Qua opportunitate uti cupiens Safyoddinus comitatui al Adeli ex Syria redeuntis se ingerit, domum aperit et congratulantes novam fortunam festis epulis excipit. Sed nihil isto conatu effecit, quam ut, exactis, debiti nomine, sexcentis millibus aureorum, omnibusque bonis divenditis, Aegypto cedere juberetur. Ergo Amidam abiit, unde ipsum Anno 615 (Chr. 1218—9) post mortem al Adeli evocavit al Camelus; quo tempore, quemadmodum etiam h. l. narratur, praesenti Principis necessitati pecunia, quam scilicet a mercatoribus divitibusque exegerat, subvenit, eidemque post confectum bellum Francicum, exeunte A. 619, suasit, ut Emiros, qui cum Ibn Meschtoubo conspiraverant, in Djizeh Dimyath hucusque asservatos, Aegypto exterminaret. Obiit vero Safyoddinus Vezirus Kahirae A. 620 (Chr. 1223—4) mense Schabano, sepultusque est in coenobio (الرباط), quod ea in urbe haud procul collegio, ab eo المدرسة الصاحبية appellato, aedificaverat, filium relinquens et in Veziratu per duos tantum menses successorem, Tadjoddinum Yousefum. Aboul Mahasenus autem Safyoddini mortem non ad A. 620, sed 630 (Chr. 1232—3) retulit. Quod autem Safyoddinus iste h. l. al Saheb, sive Princeps, appellatur, id quale sit, intelligitur ex loco Makrizii laud. a Sacyo V. C. in *Chr. Ar.* T. II. p. 560, ubi hunc dignitatis titulum, quo e Veziris primus omnium ornatus fuerat Ismail ibn Abbad, minister Mowayyed al Daulae Bouidae (cf. ibid. 298, 320), Safyoddinum primum e Veziris Aegyptiis gessisse, eamque appellationem deinceps omnibus ejus successoribus adhaesisse tradit.

(48) *Feria tertia, die decimo sexto Dzulkaädae*] Oliverius Scholasticus et reliqui Francorum in ripam Orientalem transitum referunt ad diem S. Agathae, sive quintam Februarii, quae revera feria tertia fuit, cum annus 1219 a die Lunae incipiat. At tempus tum a Makrizio, et Ibn Khalicano in vita Aboul Hosaini Yahya ibn Abou Alii, n. 820. Cod. Palm. T. III. p. 172. Leyd. T. III. p. 216, tum a Nuweirio huic rei gestae assignatum, vix admitti posse nobis videtur. Nam dies 16 Dzulkaä-

Digitized by Google

kaâdae, quem duo priores produnt, incidit in feriam septimam diemque Februarii secundum, vel ex ratione anni civilis, qui una die serius incipit, in tertium. Diversam computandi viam secutus est Nuweirius, diem memorans 17 Dzulkaâdae, atque adeo vel unum diem, vel biduum, discrepans a vero. Diem enim quintum Februarii verum rei tempus, suasque rationes falsas esse satis profecto produnt ipsi Arabici scriptores, cum ad unum omnes in feria tertia memoranda consentiant. Inopinatam vero Sultani fugam Francorumque in ripam orientalem transitum miraculo quodam et quasi divinitus accidisse existimant Christianorum plerique. Nec tamen, quod recentiores opinantur, omnibus illius aevi scriptoribus, vera turbarum caussa, seditionisque auctor Emadoddinus, plane ignotus fuit. Audiamus hac de re disserentem Bernardum Thesaurarium, illiusque locum hucusque plane neglectum, ex Murat. *Rer. Ital. Scriptt.* T. VII. p. 831 sq. producamus. *De discessu Soldani* (inquit) *et suorum, talem causam assignat Bernardus Thesaurarius, quod inter Soldanum et Admiratum quaedam fuit orta discordia; volebat enim Soldanus eum ad custodiam Damiatae praeficere; ille vero recusabat, dicens quod quum Saladinus patruus ipsius patrem ipsius Admirati ad Accon custodiam praeposuisset, passus illum fuerat a Christianis captivari. Sicque Admiratus clam de nocte discessit cum suis, timens a Soldano violentiam pati. Saracenorum vero excubiae, cum audissent equorum strepitum, suspicati proditionem, se in fugam converterunt. — Soldanus vero, quum cognovisset Admirati discessum, timens cum Christianis congredi, statim castris relictis discessit.* Eadem fere reperiuntur in Willermi Tyrii Continuatore C. 72. p. 684, qui tamen alia addit, in aliis a Latini scriptoris auctoritate discedit. Sic v. g. narrat Emadoddinum, cum discederet, reliquisse tentoria et impedimenta, ne fuga sua innotesceret. Porro dicit Saracenos, cum audirent Christianos flumen a custodibus desertum transiisse, cepisse arma et in hostes contendisse, Sultanum vero, intellecta Emiri fuga, discedere quam pugnare maluisse.

(49) *Tum conscenso equo* etc.] Quae h. l. prodita leguntur a Makrizio, distinctius et clarius exposuit Nuweirius, licet maximopere erret, al Malekum al Moâdhdhamum Mansouram apud fratrem al Camelum venisse scribens, cum al Camelus non ante castra Mansourae posuerit, quam Dimyatha a Francis capta esset. Nec etiam in tempore adventus al Moadhdhami designando, satis accuratus fuisse videtur, quem refert ad diem 29 Dzulkaâdae, feriamque quintam, cum illa diei

Digitized by Google

mensis vigesimo octavo respondeat. Talem autem rerum conditionem, qualis tunc in Sultani Aegyptii castris fuit, per integros dies tredecim (tot enim a fuga al Cameli ad fratris adventum effluxerint) mansisse immotam, nec ullam interea in melius, aut in deterius, mutationem contigisse, nisi plane incredibile sit, inter rarissimos saltem casus referendum esse censeo. Quid enim? Sultanus proditionem esse videbat in castris, et imprudenti fuga periculum maximopere auxerat, omnemque disciplinam militarem penitus sustulerat, atque adeo longiorem in auctoritate tuenda moram trahenti praesentissimum exitium imminebat. Emiris contra, patefactis jam consiliis, nulla nisi in instituto quantocyus perficiendo salus relicta erat. Quamobrem quomodo Princeps ducesque rebelles in uno eodemque exercitu, tanto temporis spatio, quieti agere potuerint, vix intelligimus. Ergo eatenus saltem verosimilior est narratio Ibn Ferati, al Malekum al Moadhdhamum triduo post transitum Francorum advenisse referentis. Sed haec alii videant. Jam redeamus ad Nuweirium, qui de Emadoddino, Moadhdhami opera in Orientem amoto, sequentia refert. *Deinceps al Malekus al Moadhdhamus a fratre rem edoctus, equo conscenso se ad Emadoddini tentorium contulit, qui cum illud accepisset, servis suis praecepit, uti se somno implicitum esse dicerent. Quo audito, ergo, inquit Al Malekus al Moadhdhamus, tantisper exspectabimus, donec expergefiat, complicatisque in cervice equi sui pedibus, consedit. Sed eo diutius moram trahente, ad extremum de rei exitu sibi metuens Emadoddinus, sine ocreis egressus, Principisque manum exosculatus est. Tum al Malekus al Moadhdhamus: Equidem velim aliquantisper mecum egrediatur Emirus, ut de communi consilio cum eo agam de machinis in oris Nili* (البحر) *erigendis. Deinde hominem, qui equum interea conscenderat, eo usque abduxit, et confabulatione sua detinuit al Moadhdhamus, donec copiae suae militares eum undique cinxissent. Postremo torvo vultu in eum conversus: Num forte, inquit, cum obiret Sultanus al Malekus al Adelus, inter liberos suos unum reliquit Emadoddinum ibn al Meschtoub? Quae cum audisset alter, Dei Dominique sui fidem obtestari coepit. Mox equo detractus mulaeque impositus, et primum Aschmoumum abductus, dein facessere jussus, commeatum sibi deesse caussabatur, veniamque petebat ad tentorium redeundi, ocreasque induendi pecuniaeque secum auferendae. At dedit ipsi al Malekus al Moadhdhamus quingentos aureos et insuper hoc addidit, quidquid opum, impedimentorum jumentorumque reliquisset, id omne ad eum missum iri. Ergo mox reversus ad tentorium Ibn al Meschtoubi, equos, saroinas, servos, verbo quidquid ad eum perti-*

Digitized by Google

tinuisset, ad eum deferendum curavit; quae omnia eum assecuta sunt, cum in Syriam pervenisset, ubi primum Damascum contendit, dein Hamatham, ubi aliquamdiu substitit, donec diploma praefecturae Ardjisch in Khelatae tractu (St. Martin *Mém. sur l'Armenie*, T. I. p. 136 sq.) *vestesque honorarias ipsi mitteret al Aschrafus. Qua de caussa ad eum obsequii praestandi caussa profectus et magna cum honoris et benivolentiae significatione exceptus est, ita ut in publicum progressus reges imitaretur. Deinde adversus al Malekum al Aschrafum rebellavit* A. 617 (Chr. 1220—1) *tractumque Sandjarae depopulatus Maredini dominum adjutorem habuit, donec contra eum exiret al Malekus al Aschrafus et apud Denisaram castra poneret: ubi adveniente et operam dante al Maleko al Saleho* (al Maleki al Adeli filio) *pax inter eum et Maredini dominum coaluit. Quo facto Ibn al Meschtoub se in castellum Tell al Afar* (تل الاعفر, vel potius التل الاعفر, in monte situm solitario inter Mausalam et Sandjaram) *contulit: quo ad eum obsidendum profecti sunt Faresoddin ibn Safrah Nisibi, et Bedroddinus Loulou Mausala. Dein eum in deditionem fidemque recepit al Malekus al Rahimus Bedroddinus Loulou et secum Mausalam abductum in vinculis habuit, misitque ad al Malekum al Aschrafum, qui eum in puteo occlusit, ubi fame et molestia periit.* Extrema Emadoddini fata exponuntur etiam ab Abulf. *A. M.* T. IV. p. 286 sq. et cum aliqua diversitate a Bar Hebr. in *Chron. Syr.* p. 465 et 467. item ab Ibn Khalicano, in ejus vita l. l., qui narrat eum durissime habitum fuisse ab al Aschrafo, pedesque numellis ferreis gravissimis, manus manicis ligneis fuisse constrictas, pediculis interim caput barbamque et vestes opplentibus; eaque in conditione mansisse, donec obiret, mense Rabia posteriori A. 619 (Chr. 1222—3). Cujus casus indignitate humanissimos quosque graviter commotos fuisse constat, e quibus unus etiam brevibus istis versiculis, nec elegantia destitutis, Emadoddinum consolari conatus est:

يا احمد ما زلت عماد الدين يا اشجع من امسك رمحا بيمين
لا تياس اذ حصلت في سجنهم ها يوسف قد اقام في السجن سنين

O Ahmed, columna religionis (Emadoddin) *non esse desiisti. O fortissime eorum, qui hastam dextrâ corripiunt,*

Ne desperes, si vinculis eorum tenearis; Ecce Josephus vel annos complures exegit in carcere.

Quanta vero auctoritate familia Emadoddini inter Curdos floruerit, vel ex eo

Digitized by Google

apparet, quod pater, proprio veluti nomine, nec cum aliis communicando, الامير الكبير, *Emirus Magnus*, appellatus sit: nec minus ex clementia, quam erga Emadoddinum nostrum exercuit al Malekus al Moadhdhamus. Hic enim, nisi Emirus popularium suorum favore undique obseptus et vallatus fuisset, commeatum homini concedere et bona omnia ipsi relinquere noluisset, sed et libenter interfecisset, et facile illud propositum exsequi potuisset.

(50) *Quam Syriam reliquisset*] Nempe malum sibi timebat al Malekus al Moadhdhamus a turbulentissimi potentissimique viri dolis et machinationibus, eaque de caussa eum Syria, ubi ipse regnabat, non minus quam Aegypto, exturbare cupiebat. Quod cum absens efficere non posset, homini custodes addidit, quorum impatientia quantocyus in Mesopotamiam patriamque Curdistanam discederet; quod consilium optato eventu non caruit.

(51) *Al Fayezum Ibrahimum — ad Syriae Reges proficisci jussit*] De al Fayezi ad Principes Syriacos legatione et morte plura leguntur apud Nuweirium, qui varias hac de re sententias refert. Sunt enim qui putent, al Fayezum ab al Camelo dimissum fuisse post proelium apud Bourlos, de quo proxima nota dicemus, ad arcessendum al Malekum al Moadhdhamum (qui, ut noster etiam paullo inferius testatur, interea in Syriam recesserat) et al Malekum al Aschrafum, qui tum temporis apud Mausalam versabatur; al Fayezum vero veneno, ut fama ferebat, peremtum fuisse in ipso itinere inter Sandjaram et Mausalam, reportarumque a suis sepultum esse Sandjarae, juxta tumulum Emadoddini Zenkii. Alii ferunt al Fayezum dimissum esse consensu al Moadhdhami (باتفاق المعظم) eique additum fuisse comitem Scheikh al Schoyoukh Sedroddinum Aboul Hasanum Mohammedem ibn Aboul Fatah Omar, qui ipsum in via veneno tolleret. Al Fayezum denique, ubi insidias sibi structas nimis sero intellexisset, Sedroddinum ad idem venenum hauriendum adegisse, ambosque simul esse mortuos. Nonnulli tamen, quibus major fides habetur, Sedroddinum aliter periisse referunt. Omnes autem, quos laudat Nuweirius, in eo consentiunt, totam rem Safyoddini ibn Schakeri Veziri consiliis peractam fuisse. Quamvis inter discrepantes auctorum sententias optionem facere admodum difficile sit, imprimis tamen Makrizio nostro assentiendum esse arbitramur, al Fayezum, ipso operam dante al Moadhdhamo, ablegatum fuisse narranti.

(52) *At nihilominus Franci — Dimyatham terra et flumine circumsedebant*] Locus omnino dignus nobis esse videtur, qui pluribus verbis illustretur. Nec enim

Digitized by Google

enim aut ipse Makrizius, aut reliqui scriptores Arabici, obsidionis illius rationem satis exposuerunt; nec qui recentiore memoria de ista expeditione adversus Dimyatham suscepta scripserunt, in quibus primario loco Michaudius nominandus est, Christianorum narrationibus satis diligenter usi sunt. Nam sive Arabes inspicias sive Michaudium; cum Francorum in ripam orientalem transitu, omnem belli impetum in eadem loca translatum fuisse existimabis, qua opinione nihil omnino potest esse falsius. Nam si accurate legas et expendas illa, quae apud Oliverium C. 12 sqq. p. 1409 sqq. et Epist. III. Jacobi Vitriacensis p. 298 sq. narrantur, nullus dubitabis, quin magna pars exercitus Christiani in ripa occidentali remanserit, ad fluminis portusque et fossae al Azrak appellatae custodiam, dum validissimus pons, infra urbem, ut videtur, collocatus, qui duas Nili ripas inter se conjungebat, et divisis Francorum copiis auxilia sibi invicem ferendi copiam faceret, et urbem commeatu intercluderet. Quin si veterem Willermi Tyrii Continuatorem audias, duo pontes fuerunt, alter supra civitatem, ut videtur, alter infra eandem collocatus. Illius enim C. 72. p. 685 haec verba sunt: *Après firent deus pons sor le flun de l'un ost a l'autre.* Eodem forte pertinet pons superior et inferior memoratus ab Oliverio C. 41. p. 1439. Cum vero durante obsidione natatores ex Sultani castris in urbem venisse, et camelorum cadavera cibis repleta secundo flumine Dimyatham delata fuisse legamus, pons iste superior, si umquam exstitit, brevi post in Sultani venit potestatem, cum Aegyptii hostium suorum negligentiam in rem suam convertentes, *locum illum occuparunt* (ut Vitriacensis ait) *a quo nostri miraculosum transitum fecerant:* quae verba non tantum de Boura ex adverso al Adeliyyae sita, sed de magna occidentalis ripae parte intelligenda sunt. Si enim solam Bouram tenuissent, quae unum milliare supra civitatem sita erat, haud facile quisquam Nilum tranatando ex eorum castris in urbem pervenire potuisset, quod tamen factum esse Makrizius et Ibn Ferat testantur. Ab eo inde tempore Christiani inferiorem tantum partem ripae occidentalis e regione civitatis, et contigua loca usque ad mare tenentes, magnopere periclitabantur, perpetuis hostium incursionibus, munitiones perrumpere pontemque occupare studentium, vexati; licet, ut Matthaeus Parisiensis ait (p. 305) *fossatum a tergo suo* fecissent, *latum satis et altum ad cautelam, ut si forte hostes fidei impetum facere vellent in eos, hujus fossati praesidio munirentur.* Quod *fossatum* castra Christianorum in utraque ripa sita cingens, bene distinguendum est a *fossato* (sic enim canalem al Azrak appellant) per quod naves introduxerant, cu-

Digitized by Google

cujusque in Nilum apud Bouram exitum nunc ipsi hostes obtinebant, nec *fossatum*, h. l. de fossa, sed medii aevi more (cf. du Cangius in utroque glossario v. *φόσσατον* et *Fossatum*) de castrorum munitione universa accipiendum est, unde etiam *vallum* appellat Bernard. Thes. apud Murat. *Script. Rer. Italic.* T. VII. p. 833. A. Jam primus Saracenorum in ripam occidentalem impetus accidit die Palmarum (31 Martii) A. 1219, quo, perruptis castris, aliqua pars pontis combusta est. Secutae sunt duae aliae incursiones, altera die Ascensionis (16 Maji) altera 31 Julii, de quibus tamen definiri non potest, utrum in orientali an in occidentali, an in utraque ripa locum habuerint; licet postremum nobis quidem verosimillimum sit. Imprimis autem memoria digna est pugna, quae die decollationis Johannis Baptistae, (29 Augusti) contigisse dicitur, et procul dubio non differt a proelio apud Bourlos (sive, ut scribitur in *Tabl. dét. des Lieux* p. 669 f. al Borollos) commisso, in quo decem millia Francorum cecidisse refert Nuweirius, Mosiemis cum multis equis armisque, quae ceperant, Dimyatham revertentibus. Nempe inter Christianos de ista re sic exponit Jacobus Vitriacensis (cujus narratio in epist. III. p. 299 sq. cum Oliveriana C. 14. p. 1412 sq. componenda et conferenda est). Cruce signatos tradit eduxisse copias e castris, *habentes in firmo proposito, quod si Saraceni bello succumberent campestri, ipsi in castris eorum, quae sibi ad unam leucam vicina erant, hospitarentur, et ita suis per interpositionem suam securitatem* praestarent *invadendi civitatem.* Quae ad verbum fere ex epistola III descripta luculenter demonstrant Christianorum hoc consilium fuisse, ut castra apud Bouram, imprudenter amissa, ubi hostes suarum invasionum quasi *ὁρμητήριον* constituerant, recuperarent. Ergo Saraceni etiam ipsi in campum egressi sunt; sed cum Christiani in eos tenderent, simulata fuga recesserunt, nusquam pugnandi copiam adversariis facientes, per arenas *inter mare et fluvium* procedentibus, *ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Cumque Christiani ad fossatum eorum devenissent, quod ipsi ad emittendum galeas suas in mare effoderant; hoc etiam transgressi sunt.* At cum finis laboris, sine ullo emolumento suscepti, nusquam appareret, revertendum esse decreverunt. Tum vero reditum tentantibus subito circumfusi Saraceni, ingentem stragem intulerunt, qua ducenti Templarii et Hospitalarii, aliique peregrini nobilissimi, plebis vero circiter duo millia amissa sunt. Jam ex universa ista rei gestae expositione elucet, Christianos versus occidentem esse profectos per loca haud multum a mari remota,

et

Digitized by Google

et sic ad extremum devenisse ad Nili canalem, qui illorum quidem sententia erat manu factus, at revera fuisse videtur brachium fluminis Phermoutiacum, quod antiquitus totam Deltam a meridie ad septentrionem mediam secabat (vide Champollion l. l. T. II. p. 17), hodie vero (et fortasse jam medio aevo) paullo supra Mansouram e brachio Phathmetico, sive Dimyathensi, discedens apud Bourlos arrimal, sive *Bourlos arenarum*, in mare magnum se exonerat. Cf. Niebuhr. *Itiner.* T. I. p. 79. n. 27. *edit. Germ.* Jam igitur luce meridiana clarius est Nuweirium, Oliverium et Jacobum Vitriacensem de uno eodemque proelio esse locutos, licet Arabs fortasse caesorum numerum auxerit, neque adeo verosimilem esse eorum sententiam, qui, quemadmodum superiore nota diximus, al Fayezum post proelium apud Bourlos (die 29 Aug.) ex Aegypto tandem aliquando ablegatum fuisse existiment; cum illius fautor Emadoddinus mense Februario jam dimissus fuisset. Quod autem Jacobus Vitriacensis addit, isto canali, quem diximus, ad naves in mare emittendas usos esse Aegyptios, id non minus rationi consentaneum, quam memoria dignum est. Nisi enim classem magno circuitu in brachium Canopiticum circumducere mallent, nulla alia exeundi via ipsis relicta erat, cum brachium Taniticum, sive Mendesium, propter vada et paludes lacus Menzaleh non opportunum navigationibus, Dimyathense ponte et navibus demersis impeditum, et canalis al Azrak propter Christianos in ipsa ripa excubantes impervius esset.

(53) *Qui regium stapedem cingunt et Djandariah appellantur*] Arab. الجاندارية في الركاب. De variis usibus vocis ركاب *stapes* disputavimus in notis ad Pseudo-Wakidaeum p. 50. et sq., et inter alia ostendimus في ركابه *in comitatu ejus* reddendum esse. Alterum vero vocabulum الجاندارية terminationem quidem habet adjectivi Arabici femininam, pendentem a subaudito الطايفة, *turba*, *cohors*, at Persicae tamen est originis, et a جاندار derivatur, quod eum notat *qui animam* vel *vitam habet*, vel *retinet*, unde varie transfertur et partim de *animante*, partim de *carnifice*, i. e. *eo qui vitam eripit*; partim de *satellite*, i. e. *eo qui vitam custodit*, usurpatur, quam postremam notionem solum nobis obtulit Lexicon *Borhan Kathi*, in quo sqq. leguntur ومحافظت كننده ونگاه بان را نيز گويند وبمعني سلاحدار هم امده است, *Djandar custodiam agentem et excubitorem appellant, quin et significatione armigeri usurpatur.* Postremam notionem haud satis idonea de caussa amplexus est Interpres Ibn Ferati l. l. p. 773, cujus haec verba sunt:

Digitized by Google

il avait été attaché à l'étrier du Sulthan en qualité de porte-épée. Caeterum hunc Schamayelum, cujus nec nomen, nec dignitatem, nec horreum Kahirense, alibi memoratum reperio, Hamathensem fuisse, ex Ibn Ferato l. l. novimus. Neque solus al Schamayelus hac in re operam suam Principi obtulisse existimandus est. Nam ut illos omittam, qui, teste Oliverio Scholastico, per loca palustria, (i. e. per vada lacus Menzaleh), missi cum cibariis ad civitatem, *Christianis dormientibus fuerunt ingressi* (in castra nempe) *Dominica nocte post festum omnium Sanctorum* (i. e. die tertio Nov. biduo ante captam urbem), quorum quatuor tantum Dimyatham intrarunt; hos igitur ut excipiam, multi praeterea Schamayeli exemplo Nilum transnatarunt. Audiamus Nuweirium. *Cum Sultanus*, inquit, *nuncium in urbem deferri cuperet, natatores misit, qui literas portarent. Hi in profundum demersi sub ipsa Dimyathae moenia emergebant. Quod animadvertentes Franci, retia a se fabricata et harpagones a Dimyatha ad ripam occidentalem extenderunt et navibus alligarunt. Ergo natatores dum urinabantur, in retia et harpagones incidentes capti sunt, quibus omnibus interfectis, transitus in urbem prorsus interruptus est.* Narrationem Nuweirii egregie confirmat Jac. Vitr. Epist. IV. p. 306. *Nobis etiam invitis et ignorantibus, quandoque sub parte terrae, quandoque sub aquis per fluvium, civitatem ingredientes, non modicum his, qui erant in civitate, ferebant solatium. Nostri vero magnum rete ex transverso fluminis protendentes, facti piscatores hominum, Saracenos prendebant.*

(54) *Erant in urbe milites ad* 20000] Numerum duplicat Jacobus de Vitr. Epist. IV. p. 303. et ex quadraginta millibus vix tria millia relicta fuisse testatur, cum urbs a Francis caperetur, inter quos vix centum anni remanserant, qui possent defendere civitatem. Octoginta vero millia per obsidionem periisse affirmat Oliverius C. 22. p. 1428. coll. Bern. Thesaur. p. 838. inter quos, eodem Oliverio teste C. 18. p. 1416, triginta millia fuerunt, *quos sine igne et ferro percussit Dominus.* At istis in locis non de militibus sermo est, sed de incolis universe sumtis, quod etiam de Marino Sanuto affirmandum Lib. III. P. XI. c. 8. ad triginta millia Agarenorum capta esse tradenti a Francis Dimyatham occupantibus; nisi forte duce Vitriacensi *trium millia* legendum sit.

(55) *Al Hafedh Abd al Athim al Mondari*] Plenum nomen viri, variis scriptis et poetica facultate clari, fuit Zekyoddin Abou Mohammed Abd al Athim ibn Abd al Wahid ibn Dhafer (ظافر), cogn. Ibn Abi Asba (ابي اصبع) Kahirensis. Obiit in urbe na-

natus A. 654 (Chr. 1256) natus annos 65. Cf. Ibn Habib MS. 425. p. 15, Aboul Mahasen MS. 636. ad hunc annum, Soyouthium in حسن المحاضرة في اخبار مصر والقاهرة MS. 376. p. 266, qui eum origine Bagdadensem perhibet. Illius liber al Moadjdjem al Mourdjem, paullo inferius allegatus, cujus argumenti fuerit, equidem statuere non ausim. Nam memorat quidem hoc opus laudatque, at non descripsit Hadji Khalifa in voce, ubi auctorem, quem filium Abd al Kawi (القوي) fuisse dicit, alio etiam loco a se memoratum esse affirmat.

(56) *Doctorem Aboul Hasanum Alium ibn Kafal*] Nec hujus Doctoris, nec Emiri illius Abou Becri, cujus auctoritate paulo post utitur Makrizius, ullam apud alios scriptores mentionem factam esse reperio. Caritatem annonae etiam, quae Dimyathenses vexarit, nullus Christianorum Arabumve adeo accurate descripsit ac Makrizius noster, eoque antiquior Nuweirius, cujus haec verba sunt: *Tanta rerum ad victum necessariarum inopia erat, ut saccharum aequali auri pondere, gallina triginta aureis, ovum uno distraherentur, vacca denique mille sexcentis; ea conditione addita, ut caput ventremque venditor acciperet, qui ista iterum centum et quatuordecim aureis distraxit.* Apud Oliverium tamen C. 15. p. 1414. C. 17. p. 1415. C. 21. p. 1418. et Bernardum Thesaur. p. 837 sq. nonnulla leguntur miserabilem civitatis ea tempestate conditionem depingentia, ex quibus intelligitur, reliquis cibis deficientibus, tritici magnam adhuc copiam superfuisse, quam tamen propter corruptionem et putredinem obsessi in suos usus convertere non potuerunt: quo factum est, teste Oliverio, ut unum *coctanum* undecim Byzantiis vaeniret. Quod si quis miretur, cur Makrizius et Nuweirius defectum et ingens pretium Sacchari inter summae inopiae, quae Dimyathenses afflixit, indicia et argumenta memoraverint, is secum reputet, provinciam al Scharkiyyeh, Dimyathenae insulae contiguam, cannis sacchariferis abundare, magnamque Sacchari copiam Dimyathae fabricari, ut docet Khalil Dhaheri (apud Sacyum C. A. T. I. p. 244 sq.) cujus testimonium confirmat locus Bar Hebraei in *Chron. Syr.* p. 293. ubi narrat auctor Francos Genuenses incidisse A. 1110 in naves Arabicas a Dimyatha et Tenni venientes, et septuaginta mercatores in vincula conjecisse, quibus inter alia eripuerunt ܩܘܦܬܐ ܕܣܟܪܐ, *cistas Sacchari Aegyptii*, non *Siccarae*, ut Kirschius interpretatur.

(57) *Cameli ventrem fiderat* etc.] Ex auctoribus, quos inspexi, solus hanc

Digitized by Google

rem memorat Marinus Sanutus L. III. P. XI. C. 5. p. 208. *Soldanus* (inquit) *abjectis equorum et camelorum visceribus, pannis circumvoluta cibaria imponebat, et cum caeteris cadaveribus per fluvium abire sinebat: qui vero in Damiata erant, fictionis non ignari, descendentia cadavera ad se trahebant. Id autem Christiani advertentes omnia perscrutantur.* Quod vero in ista narratione paullo inferius legitur: وكان فيه ما يساوي جملة, id vertendo quidem exprimere conati sumus, at vix tamen dubitamus quin pro جملة reponendum sit جلمة, *caro universa rei mactatae*, unde hic sensus orietur: *copia rerum, quae camelo continebantur, tanta fuit, ut universam illius carnem volumine aequaret.*

(58) *Mortuorum corpora domos viasque oppleverant*] Accuratissime convenit ista Makrizii descriptio cum testimonio Oliverii C. 21. p. 1418. *Non solum plateae mortuis erant plenae, sed in domibus, in cubiculis et lectulis jacebant defuncti.*

(59) *Urbemque ceperunt — die vigesimo quarto mensis Schaaban*] Cum secundum computum anni civilis initium A. H. 616 respondeat diei 20 Martii A. 1219 feriaeque quartae, et hinc ad diem 24 Schaabani effluxerint dies 231, tempus a Makrizio designatum in Nonas Novembris et feriam tertiam incidere reperiemus, qua feria revera Christiani Scriptores ad unum omnes Dimyatham captam fuisse testantur. Quod vero addit Makrizius, adstipulante Nuweirio, civitatem per menses 16 et dies 22 fuisse obsessam, id non magis verum est, quam quod asseverat Marinus Sanutus l. l. obsidionem per annum et menses septem duravisse. Effluxerant enim a quarto, vel, ut alii volunt, a tertio die Rabjae prioris, i. e. die 29 vel 30 Maji A. 615, ad diem 24 Schaabani, i. e. quinto Novembris A. 616. menses lunares septemdecim cum diebus 20 vel 21; vel solares totidem cum sex diebus. Locus autem classicus, qui qua ratione urbs in Francorum potestatem pervenerit, imprimis declarat, legitur in Epist. IV. Jacobi Vitr. p. 302. Ex cujus loci verbis intelligimus, urbem subita invasione occupatam, et incruentam paene victoriam fuisse. Ex Christianis saltem nemo interemtus, unus tantum vulneratus est. Nec alia referunt, aut Oliverius C. 17. p. 1415, aut Marinus Sanutus l. l., nisi ad caedes cepta Dimyatha patratas referre velis ea, quae de S. Francisco apud hunc auctorem reperiuntur, eum isto tempore, cum *multiplicari homicidia, adulteria et furta* cerneret, ex castris recessisse. Ergo vel ipse Makrizius, vel auctor, quem secutus est, ex partium studio rem in majus auxisse videtur, etsi eum

Digitized by Google

eum propius ad veritatem accessisse existimo, quam Nuweirium, qui Francos Dimyathensibus securitatem obtulisse affirmat, ea conditione ut urbe excederent, legesque istas ab oppidanis fuisse acceptas, at nihilominus illos, qui propter debilitatem loco moveri non possent, a Francis in captivitatem redactos et Ptolemaïdem missos esse. Quod autem addit Nuweirius, al Malekum al Moadhdhamum confecta demum obsidione Dimyathensi a fratre al Camelo] in Syriam fuisse dimissum, id paene mihi verosimilius esse videtur, quam quod a nostro superius et ab Ibn al Ferato traditur p. 772, Damasci Principem fratrem cum Francis Dimyatham ad extremas angustias redigentibus adhuc luctantem deseruisse. Nec etiam Makrizio suffragatur Christianorum auctoritas testantium, pacis conditiones paucis ante captam urbem diebus a duobus Principibus simul esse oblatas, quamobrem etiam al Malekum al Moadhdhamum tum in castris Aegyptiis adfuisse verosimile est. Cum tamen ab altera parte in Epist. III. Jacobi Vitr., durante obsidione scriptam, p. 298. E. diserte tradatur, Corradinum (i. e. al Malekum al Moadhdhamum) cum parte exercitus in Syriam recessisse, ut Sultano Iconii, Armeniae regi et Saladini filio (al Maleko al Dhahero) incursionem minantibus obsisteret; equidem quomodo tantae scriptorum discrepantiae inter se conciliari possint, non video; nisi bis obsidionis Dimyathensis tempore in Aegyptum venisse existimemus al Moadhdhamum, primum cum fratri adversus Ibn al Meschthoubum succurreret, deinde cum turbas istas, sive veras, sive (ut equidem arbitror) falso rumore ad ipsum allatas, composuisset.

(60) *Castra movit* etc.] Sultanum, antequam discederet, castra combussisse Oliverius l. l. diserte testatur, et paullo post C. 27. p. 1423 addit, eundem castra posuisse *supra Nilum itinere unius diei a Dimyatha*, quamvis locum non nominet. Urbis autem al Mansourae, quae hac occasione condita est, situs notus est, et a nostro etiam accurate describitur, licet ex illius narratione facile hoc efficias, Thalkham in ipso apice insulae Dimyathensis sitam esse, cum partim ex Itinerario Niebuhriano T. I. p. 78. coll. Tab. X, partim ex *Tabl. dét. des Lieux*, p. 643. n. 295. constet Thalkham ab occidente Nili in provincia al Garbiyyeh sitam esse. Tacet autem h. l. aliquid Makrizius, quod omnino memoria dignum erat, nempe pontis novi constructionem, quo denuo Nilum Christianis occlusit Sultanus. Non omiserunt illud factum al Cameli Bernardus Thesaurarius et Willermi Tyrii continuator. Sed opus admodum imperfecte descripserunt. Alter

 enim

Digitized by Google

enim C. 208. p. 843 haec habet: *Anno incarnati filii Dei* MCCXXII; *Babylonii vero supra flumen ferreum pontem habebant optime munitum, ne Christiani transgredi possent.* Alter vero C. 80. p. 692. *Ils firent sor le flun, où l'eue* (l'eau) *en force, un pont; si la covrirent tot de fer, et por cele firent ce fort de cele eue, que il ne voloient mie, que li Crestiens alassent à l'autre bras du flun à aler a Babylone.*

(61) *Templumque Moslemicum primarium in Christianum mutaverunt*] Haec jam pertinent ad gesta A. 1220, et non statim post captam Dimyatham, sed tribus mensibus exactis gesta sunt. Nam legatus Apostolicus invectus in urbem die purificationis B. Mariae (2 Febr.) ut Jacobus de Vitr. Ep. IV. p. 303 testatur, templum Moslemicum (sive, ut illius aevi scriptores appellant, *Machomeriam*) nomini Beatae Virginis dicavit, huic unum altare, S. Petro alterum, S. Cruci tertium, S. Bartholomaeo quartum consecrans. Erat autem templum quadratae formae, quod columnis sustentabatur marmoreis centum quinquaginta minus una, septem porticus habens et in medio aperturam longam et latam, in qua pyramis alta sursum adscendebat.

(62) *Dimissisque per vicos circumjacentes equitum turmis*] Harum excursionum etiam Christiani meminerunt. Praecipua fuit illa, in qua mille exploratores die 25 Novembris Tanim, olim magnam urbem, tum adhuc castrum validissimum, fugiente praesidio, nullo negotio occuparunt. Cf. Oliverius C. 24. p. 1420 et C. 29. p. 1425. ubi alius expeditionis meminit a Templariis, ad oppidum Broilus (Bourlos) excurrentibus, et intra biduum ingenti cum praeda redeuntibus, susceptae, quae ut tempore, ita fausto successu, plurimum differt ab incursione quam memoravimus n. 52.

(63) *Ducenta millia peditum, decem equitum*] Praetulimus majorem numerum a Cod. 372 oblatum, cum reliqui مائة الف (*centum millia*) habeant. Quod etsi probabilius et ad historiae fidem propius nobis accedere videretur, nihilominus repudiandum esse censuimus, cum ut Orientalibus universe, ita Makrizio imprimis, familiare sit, ut numeros augeat, illiusque ratio h. l. accurate respondeat computo Godefridi Monachi p. 392, Christianos ad 200000 Dimyatha egressos esse affirmantis. Primarius harum rerum scriptor Oliverius C. 34. p. 1428 mille ducentos numerat *militariter armatos cum equitaturis, ad tale negotium peragendum necessariis, exceptis Turcopulis et aliis equitibus numerosis.* Peditum numerum propter copiam investigari non potuisse dicit, sagittariorum ve-

Digitized by Google

vero fuisse ad quatuor millia, naves variae magnitudinis ad sexcentas et triginta, dum, transfugis testibus, septem millia equitum Sultanum apud Mansouram excubantem comitabantur. Christianis quidem post captam Dimyatham nova auxilia frequenter accesserant, obiter a nostro tacta et uberius memorata ab Oliverio C. 27. p. 1423, et C. 30. p. 1425, at vel sic tamen imprimis verosimile nobis esse videtur testimonium Petri de Albenejo in epistola, servata a Matthaeo Parisiensi p. 313, qui non plures quam sex equitum, quadraginta peditum millia recenset. Cum enim in ista adversus Mansouram expeditione haud adeo magnae Christianorum perisse videantur copiae, modicus iste numerus melius respondet triginta panum millibus, quae exercitui Christiano distribuenda curavit al Malekus al Camelus, postquam de induciis et reddenda Dimyatha convenisset. Cf. n. 73. At ejusdem epistolae auctor omnino erravit, eam incursionem tres circiter septimanas durasse diceret. Nam, prouti ex Oliverio C. 32 sqq. intelligitur, Cruce signati, postquam in festo Petri et Pauli, i. e. die 29 Junii, in ripa fluminis castra explicare coepissent, XVI Cal. Aug. convenerant apud Pharascum (i. e. Farescour) tribus a Dimyatha milliaribus, et alacriter progressi, sed ab hostibus in itinere vexati, die S. Jacobi, i. e. VII Cal. Aug., castra demum posuerunt e regione Mansourae, XII a Dimyatha milliario secundum Oliverium, XIV secundum Godefridum; die vero Augusti trigesimo induciae factae sunt. Cf. Oliv. C. 32 sqq. p. 1427 sqq. C. 38. p. 1437.

(64) *Al Fakih — Mohammed — Mehallensis*] Nec hujus Fakihi, nec Emiri Husamoddini, nec duorum Emirorum, quorum nomina statim sequuntur, ullam apud alios auctores mentionem factam esse reperimus. Hoc unum scimus Fakihum istum Aegyptium fuisse. Id enim gentilitium المحلي, *Mehallensis* satis demonstrat, derivatum a محلة *Mehallah*, quod nomen centum circiter locis Aegyptiis est communae, partim memoratis a Yakouto in al Moschtareko, partim in *Tabl. dét. des Lieux* passim.

(65) *Sarmesakh*] Meminit illius loci, ceteroquin haud multum cogniti, auctor Lexici Geogr. qui illum شارمساخ appellat, et magnum vicum esse dicit, oppido similem, ad provinciam al Dahkeliyyeh (الدقهلية) pertinentem, et quinque parasangas a Dimyatha remotum. E recentioribus solus, quod scimus, illius meminit Niebuhrius T. I. p. 77, e veteribus autem Oliverius Scholasticus, C. 35, ubi Christianos illud transiisse dicit, cum Mansouram pergerent: dein haec addit paullo ob-

Digitized by Google

obscuriora. *Inter quae* (casalia) *nominata prae caeteris et opulentiora sunt super ripam ulteriorem* (?) *Symon et Saremsac, in quibus palatia regis magnifica fuerunt.* Vicum vero cum palatio diruisse Sultanum, ut hostibus ulterius progressuris damnum inferret, testatur C. 36. p. 1432. f.

(66) *Naves bellicae Moslemorum — procedebant*] Quae h. l. leguntur me diu haesitantem tenuerunt. Cum enim Sultani consilium esset, ut Francos e regione al Mansourae collocatos omni commeatu intercluderet (qua de caussa etiam pedestres copias, navigiis per lacum Menzaleh, ut videtur, circumductas apud Sarmesakh collocaverat) illud brachium Mehallense non supra Mansouram, sed infra versus Dimyatham, quaerendum esse, nec magnum illum canalem, qui paullo supra Mansouram juxta al Mehalleh al Kebireh versus occidentem ducitur et medium Deltam interseçat, huc referri posse apparet. At nihilominus de vero illius brachii situ incerti sumus, cum nec alii, quod equidem sciam, scriptores, nec ipse Makrizius, aut hoc loco, aut alibi, ubi de Nilo agit, accuratius illam rem attigerint, quod tanto magis dolendum, quanto certius est, ex ipsa appellatione بحر المحلة hic non de canali manu facto, sed de brachiorum Nili naturalium aliquo sermonem esse. Illos enim vulgo خليج appellant, nec canalem novi, qui بحر vocetur, praeter canalem Josephi et canalem Abou Monadjdjae. At illorum et reliquorum longe diversa ratio est. Hi enim, Nilo tantum crescente, aquam recipiunt, illi perpetuo fluunt, et quamvis manu facti ipsius amnis formam et speciem induerunt. Nec solus hanc fluminis partem ita appellat Makrizius, sed eodem quoque nomine usus esse videtur Ibn al Atsir. Nam in versione legitur: *Ils resolurent de se porter au bras du Nil, appelé Mahalleh.* Imprimis vero memoria digna sunt verba Nuweirii, tradentis Nilum auctis aquis fluxisse per (sive implevisse) Bahr al Mehalleh; Sultanumque, re intellecta, partem classis in ipso fluvio al Mehalleh, quae Francorum commeatum interciperet, constituisse, ex quo intelligitur, flumen illud Aegyptiorum negligentia limo oppletum fuisse, adeo ut nullus, nisi excrescente Nilo, illius usus esset. Jam si locum quaeramus, ubi illud brachium Niloticum probabiliter exsiterit, Itinerarium Niebuhrii peropportune nobis offert pagum Mehalleh Mischak (محلة مشاق) T. I. p. 77. n. 30, haud diversum, ut videtur, a Mehalleh anschak (محلة انشاق) in *Tabl. dét. des Lieux*, p. 627. n. 137. et in ipsa insula Dimyathensi situm, haud procul a meridie pagi Sarm-

Digitized by Google

Sarmesakh, ubi stationem militum ab al Camelo collocatam fuisse videmus. Quod autem nullum ibi canalem conspexisse videtur Niebuhrius, id ex eo explicandum est, quod certis anni temporibus plane solet exarescere. Nam hodieque ibi Nili canalem existere ex Pocockii narratione, quamvis obscurissima, colligere quodammodo possumus. Cf. *Descr. of the East*, T. I. C. III. p. 18. cum Tab. Aegypti Geogr. libro praefixa, ubi apud Mahallat Mischan canalis ex Nilo in lacum Menzaleh deductus cernitur. Nec profecto nullam illius canalis mentionem a Niebuhrio factam esse quisquam mirabitur, qui alios quoque in eodem tractu rivulos ab eo praetermissos esse meminerit. Sic ubi pagi Beremoun a septemtrione Mansourae siti mentionem facit, de illius canali ne verbulum quidem adjicit, etsi illum quoque exstitisse ex notis inferius subjiciendis apparebit. In magna autem de veteribus Nili brachiis ostiisque controversia (de qua prae ceteris legendus est Champollion *l'Egypte sous les Phar.* T. II. p. 7—25) tuto affirmari non potest, quo nomine antiqui brachium illud Niloticum, بحر المحلة appellatum, designarint. Nobis hoc maxime placet, Bahr al Mehalleh olim, antequam lacus Menzaleh omnem istum terrarum tractum occupasset, brachium Nili Phathmeticum cum Mendesio conjunxisse; nec dubitamus, quin Vir Ill. Andreossius (*le Général Andréossy*), qui lacum Menzaleh bolide nautica diligenter exploravit, hanc brachii Mehallensis cum Mendesio conjunctionem et utriusque per orificium, quod Djibeh appellatur, in mare exitum reperturus fuisset, si Mendesii non minus quam Tanitici brachii vestigia, nunc lacus aquis obtecta, persecutus esset. Cf. *Mém. sur le lac Menzaleh*, in *Mém. sur l'Egypte publiés pendant les campagnes du Général Bonaparte*, T. I. p. 169 sq. Nos interim probabilem fluminis cursum in adjecta tabula expressimus. Haec igitur nostra de istorum locorum situ sententia est: quacum tamen conciliari non possunt Oliverii et Continuatoris Willermi Tyrii de Sultano naves suas in Dimyathense Nili brachium circumducente narrationes, de quorum falsis opinionibus et rerum naturae plane contrariis nunc paullo uberius exponendum est. Incipiamus ab Oliverio, illiusque loca, ubi de Mehalleh illiusque rivo sermo est, producamus. Primarium est quod legitur C. 36. p. 1433. *Ultra locum istum* (Sarmesakh) *fluvius curvatur atque restringitur, et quidam rivulus ab insula Mahalech veniens fluit in eum, et crescentibus aquis profunditatem cum dilatatione suscipiens galeas aliaque vasa mediocria valet inferre, quem Duces nostri videntes pariterque con-*

Digitized by Google

temnentes praeterierunt, festinantes ad caput insulae. Nec minoris momenti sunt ista quae sequuntur C. 37. p. 1434. *Jam enim Soldanus partem galearum suarum per rivum cujus supra mentionem fecimus, infra castra nostra per insulam Mahalech, in alveum fluminis nobis ignorantibus immerserat* (l. immiserat), *intercludens viam nostris ne descendere valerent aut adscendere.* Quorum verborum rationem declarat tertius locus, in quo situs insulae Mahalech, sive Mehalleh, exponitur, C. 35. p. 1430. *Haec insula*, inquit, *appellationem sortita terra Damiata* (an *Damiatae?*) *nuncupatur, quae vero trans fluvium est, Taneos dicitur. Quae autem trans fluvium Damiatae latior invenitur, Mahalech nominatur.* Est ergo Oliverii Mahalech (vel Maheleth Willermi Tyrii, quem omnino cf. L. XIX. C. 22) nihil aliud, quam Delta major, quae forte nomen illud, alias prorsus inauditum, ab urbe celebri al Mehalleh al Kebireh derivarit. At quomodo per mediam Deltam naves Aegyptiae in brachium Dimyathense, invitis Christianis, atque adeo medio inter Mansouram et Dimyatham intervallo, pervenire potuerint, vix intelligimus, cum praeter canalem al Azrak, qui adhuc in potestate Christianorum fuisse videtur, nullus rivus infra Mansouram in Nilum exeat, qui aut cum brachio Canopitico, aut cum mari conjunctus sit. Nec felicius te expedies ex Continuatoris Willermi Tyrii narratione C. 82. p. 693. *Or vous dirai que lis Sarrazins firent. Il firent lor galies, qui estoient u flun de Foe, si les firent monter j'usqu'au pont, et avaler* (i. e. descendre) *coiement u flun de Damiete, si que onques la navie des Crestiens, qui d'autre part estoit, ni le sout, ne n'aperçut. Les galies des Sarrazins se mistrent entre l'ost et Damiete. — Dont il avint que en cel point que les galies des Sarrazins avaloient le flun de Foe u flun de Damiete, estoient cent galies armées arrivées u flun de Damiete.* Haec anonymus ille, qui, quod maximum est, sibimetipsi manifesto contradixit; cum primum naves, per brachium Fouch, i. e. Canopiticum in Dimyathense, *adscendisse*, affirmet, at paullo post id non *adscensu* sed *descensu* factum esse dicat, quod omnino locorum naturae repugnat. Dein si, ut iste significare videtur, ex brachio Canopitico, superato Deltae apice, in Dimyathense pervenerint, et sic ad pontem apud Mansouram descenderint, profecto non intelligimus, quomodo tandem, insciis Christianis, ulterius progredi et flumen inter castra et Dimyatham occupare potuerint.

(67) *Copias auxiliares adduxit al Malekus al Aschrafus Mousa*] Hic rerum suarum satagens, fratris al Cameli angustias eousque parum curaverat. Hoc ve-

Digitized by Google

vero tempore al Moadhdhami precibus aegre permotus, cum eo Euphratem transiit et Salamiae castra posuit, quasi in Aegyptum profecturus. Quam Principis voluntatem opportune confirmavit cohortatio Aboul Modhafferi Yousefi, vulgo Ibn al Djouzii, celeberrimi historici, et imprimis al Aschrafo cari, qui tum forte ea in loca advenerat. Hujus maxime auctoritate copias suas, cum al Moadhdhami exercitu, apud Emesam agente, conjunxit, profectique sunt omnes Damascum, unde ipso Djomadii posterioris initio in Aegyptum abierunt Mansouramque pervenerunt die Redjebi tertio. Haec Nuweirius, a quo in tempore designando nonnihil discrepat Makrizius, Principum Ayoubidarum adventum referens ad diem 23 Djomadii posterioris (diem 12 Aug. 1221.) Quod autem haec ex oculato rerum teste Ibn al Djouzio discimus, (hunc enim auctorem laudavit Nuweirius) id luculenter demonstrat, quam parum fidendum sit Ibn al Atsiri verbis, al Aschrafum non in comitatu fratris, sed solum in Aegyptum venisse, et al Moadhdhamum eo demum tempore ad al Camelum rediisse narrantis, quo Franci jam de deditione facienda legatos miserant. Cf. Michaud *Hist. des Crois.* T. VII. p. 543. Reliquos vero Principes, quos cum copiis ea tempestate ad al Camelum confluxisse dicit noster, nominatim enumerat Abulf. *A. M.* T. IV. p. 302 sq. cui adde Petri de Monte acuto Templariorum Magistri testimonium in epist. apud Matth. Parisiensem p. 314. ubi praeter Seraphum (al Aschrafum) et Conradinum (al Moadhdhamum) al Camelo adfuisse dicit *Sultanos Camelae* (i. e. Emesae), *Haman* (l. *Hamat*) *et Coelanbar* (an *Calogeubar* i. e. Kalât al Djâbar? Cf. Willerm. Tyr. L. XVI. C. 7.) Ex his omnibus Principibus al Camelo ipsis fratribus carior fuit et honoratior al Malekus al Moadhdhamus Beheramschah Mohammed ibn Sandjarschah ibn Atabek, Dominus Djezirae ibn Omar, qui reliquos omnes in obsequio auxilioque praestando anteverterat. Quamobrem, teste Nuweirio, hunc parvi oppidi Principem tanta honoris significatione prosecutus est al Malekus al Camelus, ut quodam die admissi Francorum legati solum Beheramschahum sedentem, al Camelum cum reliquis stantem reperirent. Nec etiam cum splendido consessu Francorum obsides reciperet, hunc cum Principibus Ayoubidis coram se consistere passus est, sed lateri suo adsidere jussit.

(68) *Et sex naves bellicas — ceperunt*] Haud scio an hujus capturae ceteri non meminerint. Tria illa navigia, quae paullo post a Moslemis capta esse scribit Makrizius, memorat quoque Ibn al Atsir l. l. p. 542. Nuweirius autem, qui hoc

 ipso

Digitized by Google

ipso anno undecim naves Francorum, حراقة appellatas, ab Ibn Khaschouno praefecto classis Islamiticae captas fuisse dicit, non hanc sed aliam victoriam Moslemorum respexisse videtur.

(69) *Legatos de pace miserunt.*] Cum Makrizio et de tempore et de conditionibus induciarum conspirat Ibn Al Atsir, licet ex illius, item Abulfedae ejus vestigia legentis, narratione constet non Francos, sed Moslemos, primas conditiones hostibus pro reddenda Dimyatha obtulisse. Inter Christianos hujus rei mentionem facit Bernard. Thesaur. C. 206. p. 843, quo teste haec inter Sultanum et Papae legatum gesta sunt, absente Rege Joanne Briennio, qui post captam Dimyatham, propter simultatem inter ipsum et Legatum ortam, ad res regni ordinandas Ptolemaidem discesserat. Conditiones autem, quas Legatus respuit, has fuisse dicit, ut tota terra Hierosolymitana, excepta arce Karak, Christianis restitueretur, sumtusque necessarii ad reparationem urbium et oppidorum, quae inde ab obsidione Dimyathae dirutae fuerant (i. e. Hierosolymarum, Caesareae et Safadi, quarum munitiones al Moadhdhamus dejecerat) darentur: praeterea ut universi restituerentur captivi et in triginta annos induciae fierent. Earumdem quoque conditionum a Moslemis oblatarum mentionem facit Willermi Tyrii Continuator C. 80. p. 692, qui tamen in eo a Bernardo Thesaur. discedit, quod bis post captam Dimyatham inducias a Sultano petitas fuisse dicat: et primo quidem brevi post occupatam a Christianis urbem, quo tempore totum regnum Hierosolymitanum, excepto Karako, omnesque captivos illis obtulit; iterum hoc, de quo nunc agimus, tempore. Sed huic fortasse, haud magnae sane auctoritatis scriptori, non magis credendum est, quam Godefrido Monacho p. 392, praeter regnum Hierosolymitanum moeniumque instaurationem, ipsam quoque Dimyatham cum adjacentibus agris ad viginti milliaria, Christianis ea conditione oblatam fuisse affirmanti, ne ulterius procederent. Tales vero conditiones, quales Bernardus Thesaur. memorat, jam paullo ante captam Dimyatham al Camelum et al Moadhdhamum Francis obtulisse testatur Oliverius C. 16. p. 1414, a Patriarcha et Legato, item Templariis Hospitalariisque, (qui tamen, teste Bernardo Thesaur. easdem post captam urbem accipiendas esse censuerunt) repudiatas; quarum tamen, uti nec aliarum induciarum paullo ante a Moslemis oblatarum, nullam omnino apud Orientales mentionem fieri miraberis; nisi forte putes illos has ea maxime de caussa silentio praeteriisse, ne sui toties pacem rogasse viderentur.

(70)

Digitized by Google

(70) *Nam iste — timere coepit — ne pars eorum — Hierosolymas occuparet* etc.] Haec Hierosolymarum devastatio jam ante biennium acciderat, uti partim constat ex Oliverii narratione, illam sub A. 1219 memorantis, partim ex Nuweirio, cujus ipsa verba, quae nobis publica luce haud indigna esse videbantur, hic subjecimus. *Sanctae urbis devastatio*, inquit, *instituta est summo mane feriae primae, diei 7 Moharremi A.* 616 (26 Martii A. 1219), *et absoluta prima decade mensis Rabiae prioris. Rei caussa haec fuit, quod al Malekus al Moadhdhamus, cum ad fratrem suum in Aegyptum tenderet, certior factus est, turbam Francorum illud moliri ut Hierosolymas aggrederentur. Ergo cum Emirorum suorum nonnullis de urbe diruenda consultationem habuit, Syriam copiis vacare dictitans, Francosque adeo, occupatis Hierosolymis, facile eam regionem Damascumque in potestatem esse redacturos. Ergo urbs ejus jussu munimentis privata est, quam ea tempestate obtinebant al Malekus al Azizus Otsmanus et Azzoddinus Aibekus Ostad al Dar. Tum vero ingens clamor per urbem coortus est, omnesque mortales, quin mulieres alias velo coopertae, vetulaeque et senes aliique ad lapidem sacrum templumque al Aksa egressi, crines scindebant vestesque lacerabant et sedibus excedebant, relictis facultatibus; ita ut fugitivorum sive in Aegyptum, sive in Syriam, sive Karakum, tendentium viae plenae forent, mulieresque delicatae conscissas vestes pedibus suis circumvolverent, multique in ipsa via fame et siti interirent: quorum absentium bonis, quae in urbe reliquerunt, direptis, unum centenarium olei Hierosolymitani decem drachmis, libra aeris semidrachma vaeniit.*

(71) *Et flumini — amplissimum exundandi locum praebuerunt*] Hic nobis sensus esse videtur verborum Arabicorum وفجروا مكانا عظيما في النيل, quorum paullo impeditior est constructio. Ad rem quod attinet, observandum est, loca ista multis canalibus intersecta esse, quos non aperiunt antequam Nilus ad magnam altitudinem pervenit, i. e. ante medium Augusti mensem, quando haec, in quibus commentandis nunc versamur, peracta sunt. Pontes autem, quibus canales juncti erant, Francis reditum molientibus, al Cameli jussu fuisse sublatos Nuweirius docet, qui diserte mentionem facit pontis canalis al Beremoun Sultano imperante rupti. Quae res nobis ostendere potest in quantas locorum angustias Franci fuerint compulsi. Nam Beremoun (de quo omnino vide Champollion l. l. T. II. p. 134 sq.) brachio Nili Phatimetico adjacens, exiguo admodum intervallo ab apice insulae Dimyathensis, in quo Franci ex adverso Mansourae ca-

Digitized by Google

castra habebant, remota est. Quo in loco deinceps, eodem Nuweirio teste, convenit Joannes Briennius Rex Hierosolymitanus Sultanum al Camelum, induciaeque mutuo jurejurando confirmatae sunt. Neque vero Nilus solos canales, de quibus diximus, implevit, sed super ripas etiam effusus *sic exundavit, ut qui in exercitu erant, multi submersi sint et victualia deperdita. Excreverant enim* aquae *in tantum ut multi usque ad guttura* in iis *consisterent; nec patere poterat exercitui aditus remeandi.* Sunt verba Bernardi Thes. p. 844. Quocum conspirat Willermi Tyrii Continuator C. 82. p. 693. Imprimis vero de tota ista re legendus est Oliverius, qui Christianorum angustias pluribus persequitur, et in rerum gestarum ordine aliquantisper a Makrizio discrepat. Neque enim canales apertos fuisse dicit, dum Christiani adhuc e regione Mansourae castra haberent, sed cum incensis VII Kal. Sept. tentoriis, reditum molirentur, atque adeo vespera feriae quintae, sive diei 27 Augusti. *In hujus* enim *noctis principio* (ut ipsius verbis utar) *rex Aegypti missis veleciter nuntiis rumpi fecit clausoria riparum, quae gens illa Caliph* (l. *Calig*, خليج) *appellare solet, per quas nobis iter esse debuit.*

(72) *Dum haec aguntur — advenit navis magna Francorum*] Hujus rei solus, quod sciam, mentionem facit Ibn al Atsir l. l. p. 542 sqq. Verba versionis haec sunt: *Dans cet état de choses, il arriva aux Francs un très grand batiment, qu'on nomme Maxamas*, (l. Maramas); *il étoit accompagné de plusieurs petites barques chargées d'armes, de bled et de toutes sortes de provisions. Les vaisseaux des Musulmans les attaquèrent, et après un combat, s'en rendirent maitres, ainsi que du grand batiment.* Quae si cum nostris compares, sive auctorem, sive interpretem, officio suo minus bene functum esse animadvertes. Nempe الحراقات non sunt naviculae (petites barques) ~~sed~~ naves incendiariae, armatae, nec ipsae, sed magna illa navis, quam tuebantur, commeatu armisque impleta erat.

(73) *Sultanus cum suis — consultationem habuit*] Ex Ibn Ferato l. l. p. 775. apparet, reliquis in saeviorem sententiam inclinantibus, al Camelum ipsum humaniorem praetulisse, multisque argumentis reliquos eo pertraxisse ut Francos in deditionem accipiendos esse arbitrarentur. Ibn Ferati narrationem confirmat Oliverius C. 37. p. 1436. cujus haec verba sunt: *Nihilominus Soldanus nuntios patienter audivit, ac prudenti colloquio suos ab infestatione nostra subsistere praecepit. Cumque fratres sui et maxime Dominus de Camela nomini Christiano plurimum infestus, ipsum dehortari conarentur a compositione, dicentes Francos aquis undique con-*

Digitized by Google

conclusos evadere non posse; ipse sicut prudens et mansuetus magis compendium pacis quam sanguinis effusionem sitiens — regem Persarum proposuit in exemplum etc. Quam Principis Aegyptii insignem erga hostes misericordiam et benignitatem etiam illa confirmant, quae Bern. Thesaur. l. l. memoriae prodidit, Sultanum Johannem Regem de pace acturum perhumaniter excepisse, eique dixisse se imprimis miserabili exercitus Christiani conditione commoveri: deinde compositis induciis misisse Christianis panum 30000, eamque liberalitatem toto quatriduo continuasse, quin etiam aqua egressis rerum venalium forum praebuisse pauperibusque multis victum concessisse per dies quindecim. Cum Bernardi Thesaurarii verbis comparandus est locus Continuatoris Willermi Tyrii C. 8. At imprimis laudandum est Oliverii testimonium, in epistola ad al Malekum al Camelum data (Hist. Damiat. p. 1442) quod omnino tale est, ut neminem umquam ab hoste majoribus laudibus ornatum esse putemus. *Ego*, inquit, *servus emtorius Crucis, tuus libertus, numquam ingratus ero tuis beneficiis. A seculo non est auditum erga conclusos ab hostium multitudine tantae bonitatis exemplum. Cum enim nos in tuis manibus conclusisset Dominus, non te sensimus tyrannum vel Dominum, sed patrem in beneficiis, adjutorem in periculis, socium in Capitaneis, patientem in nostris insolentiis. Majores nostros in castris tuis obsides, deliciis, quibus Aegyptus habundat, insuper largis muneribus, etiam cum fratribus tuis corporali visione plurimum honorasti; nobis minoribus in libera custodia positis, quotidie vicena vel tricena millia panum cum pabulo jumentorum gratis misisti. Induxisti victualium commercia, praeparans pontem et siccari faciens vias, quas aqua fecerat invias, nos et nostra custodiri jussisti, sicut pupillam oculi. Si aberraverat jumentum, reductum ad castra requisito Domino locum suum recepit. Infirmos nostros cum debilibus ad portum Damiatae per terram et aquam tuis sumtibus deferri procurasti, idque quod his omnibus majus est, improperari nobis, moveri super subannantium capita, vel aliquo signo derisionis molestari edicto terribili prohibuisti.*

(74) *Die nono mensis Redjebi*] Ibn al Atsir, quique eum sequi videtur, Abulfeda, hoc die septimo accidisse, Dimyatham, quod noster etiam confirmat, decimo nono redditam esse testantur. Contra Nuweirius hoc mensis decimo nono die inducias jurejurando confirmatas esse, eodem vero mensis Schâbani die Dimyathae deditionem factam esse narrat. At hujus opinionem omnino repudiandam esse luculenter ostendit epistola servata a Matthaeo Paris. p. 313. quae Dimyatham

Digitized by Google

tham in Moslemorum potestatem rediisse docet biduo post festum nativitatis B. Mariae, i. e. die 10 Septembris; qui respondet diei 22 Redjebi, atque adeo triduo posterior est tempore, quod noster una cum Abulfeda et Ibn Al Atsiro designavit. Quin accuratius etiam conspirat cum Makrizio Oliverius in tempore, quo induciae factae sunt, definiendo. Etenim dies nonus Redjebi A. 618. incidit in diem 28 Augusti vel, secundum annum civilem, in 29 ejusdem mensis, eodemque die, sive festo decollationis Johannis Baptistae, de pace induciisque agi coeptum esse, quas postridie Sultanus et Christiani ratas habuerint, testatur Oliverius C. 37. p. 1436 sq.

(75) *Obsides miserunt viginti.*] Parem numerum a Sultano missum esse auctor epistolae paullo ante laudatae perhibet. In Arabicis legitur illos obsides Francorum fuisse viginti Reges (عشرين ملكا), sed magnifico isto nomine omnes omnino viros principes ornare solent, quorum haud exiguum sane numerum in castris Francorum fuisse ex Nuweirio constat, cujus haec verba sunt: وكان فيهم ماية كند وثلاث ماية من الخيالة المعروفين وملك عكا والدود (الدوك l.) واللوكان (l. البابا) نايب الباب (an اللوكات?), *Fuerunt autem inter illos centum comites et trecenti equites nobilissimi; item Rex Ptolemaidis* (Joannes Briennius) *et Dux* (Ernestus Dux Bavariae) *et Legatus, vicarius Papae.* Ex his obsides tum alii fuerunt, tum imprimis Rex Joannes, Legatus et Dux Bavariae, ut auctor epistolae superius laudatae affirmat, quibus trium Domorum magistros adjungit Oliverius, obsides non viginti, sed viginti quatuor numerans C. 39. p. 1438. Regem ac Legatum etiam memorant Ibn Ferat et Abulfeda, dum pro Legato Jacobum de Vitriaco Episcopum Acconensem solus substituit Bernardus Thesaur., qui etiam eodem teste, paullo ante cum Rege Joanne ad inducias faciendas ad Sultanum profectus erat. At illius testimonium plane solitarium vel eo nomine repudiandum esse censemus, quod Petrus de Monte acuto Templariorum Magister, vir dignitate primarius, quique ipse rebus gestis interfuit, in epistola a Matthaeo Parisiensi p. 314 allegata, diserte narrat, Episcopum Acconensem, *qui Dimyathae relictus erat*, repugnasse induciarum conditionibus, et civitatem defendere voluisse.

(76) *Al Malekum al Salehum Nedjmoddinum Ayoubum*] Secundum Abulfedam T. IV. p. 306 al Malekus al Salehus, qui postea patris in regno Aegyptio successor fuit, et flagrante bello sacro adversus Ludovicum IX. A. 647. (Chr. 1249—50), morbo de-

Digitized by Google

decessit, tum temporis quindecim annorum juvenis erat: quod verum esse non potest, si, ut idem perhibet, annos quadraginta tantum vivendo impleverit. Cf. IV. p. 502. At h. l. numerum tantum majorem neglectis minoribus posuisse Abulfedam Nuweirius ostendit, quo teste, natus est al Malekus al Salehus A. 603 (Chr. 1206—7) atque adeo, ut hoc ipso A. 618 annos quindecim exegerat, ita vixit in universum quatuor et quadraginta. Ex eodem vero, quem laudavimus, Nuweirio discimus, non tantum al Malekum al Salehum principumque filios, sed etiam ipsius Sultani Aegyptii fratrem al Malekum al Afdhalum Kothbeddinum, inter obsides ab al Camelo datos numeratum esse, quod etiam his verbis confirmat Oliverius l. l. *Vice versa filius Soldani, haeres regni, et unus de fratribus suis, de quorum numero sunt multi, et filii nobilium dati sunt nobis.*

(77) *Consessuque splendide instructo* etc.] Hujus consessus, Principum Ayoubidarum aliorumque praesentia celeberrimi, etiam mentionem faciunt Abulfeda et Ibn Ferat. Ad ejusdem festi diei solemnitatem fortasse respexit Makrizius, in descriptione urbis Mansourae sequentia referens, propter narrationis carminumque suavitatem haud indigna, quae hac occasione in lucem publicam producantur. *Cum vero al Malekus al Camelus Dimyatham Francis eripuisset, et isti in suas regiones discederent, consedit in arce sua Mansourae, fratribus al Maleko al Moadhdhamo Isa Damasci Rege, et al Maleko al Aschrafo Mousa regionum Orientalium Principe, et turba familiarium atque necessariorum coram eo consistentibus. Tum al Maleki al Aschrafi puella, eo imperante, haec ad lyram cecinit:*

ولما طغي فرعون عكا وقومه وجاوا الي مصر ليفسد في الارض
اتي نحوهم موسي وفي يده العصا فاغرقهم في اليم بعضا علي بعض

Cum Pharao Ptolemaidis (Joannes Rex) *ejusque populus in Aegyptum venissent ad terram devastandam,*

Mousa (al Malekus al Aschrafus) *ad eos perrexit virgam manu tenens, et alios post alios in mare demersit.*

Quos versus al Aschrafus gaudio exultans puellam repetere jussit: contra al Malekus al Camelus rem aegre ferens ipsi silentium imposuit, suamque cantatricem aliquid recitare jussit. Illa vero lyram prehendit et cecinit:

ايا اهل دين الكفر قوموا لتنظروا لما قد جري في وقتنا وتجددا
اعباد عيسي ان عيسي وقومه وموسي جميعا ينصران محمدا

O gens religionis incredulae, surgite ut intueamini illud quod nostro aevo evenit et noviter accidit.

O servi Isae, utique Isa (al Moadhdhamus) *ejusque populus, et Mousa* (al Aschrafus) *simul Mohammedi* (al Camelo) *opitulantur.*

Quibus auditis al Malekus al Camelus in admirationem raptus, utrique puellae quingentos aureos dari jussit. Tum denique surrexit Judex illustris, primarius, al Reis Hebat allah ibn Mahasen, Judex Gazae, qui tum temporis ibi considebat, cecinitque:

هنيا فان السعد جا مخلدا وقد انجز الرحمن بالنصر موعدا
حبانا اله الخلق فتحا لنا بدا مبينا وانعاما وعزا مؤبدا
تهلل وجه الارض بعد قطوبه واصبح وجه الشرك بالظلم اسودا
ولما طغي البحر الخضم باهله الطغاة واضحي بالمراكب مزبدا
اقام بهذا الدين من سل عزمه صقيلا كما سل الحسام المهندا
ونادي لسان الكون في الارض رافعا عقيرته في الخافقين ومنشدا
اعباد عيسي ان عيسي وحزبه وموسي جميعا ينصران محمدا

Quin age feliciter! nam perpetua salus venit! Satisfecitque Misericors promisso victoriae.

Retribuitque nobis Deus creaturarum expugnationem praeclaram, et beneficia et gloriam perpetuam.

Exhilarata est terrae facies postquam tristitia contracta fuerat, et facies impietatis scelere nigra est.

Cum vero mare vorans gentibus suis effervesceret, spumaretque navigiis,

Ad hanc religionem tuendam surrexit, qui firmum propositum tamquam gladium strinxit, uti stringebat gladium Indicum,

Et lingua eorum, qui in terra versantur, clamavit vocem tollendo, cujus sonus per Orientem Occidentemque audiebatur, et canendo

O servi Isae, jam Isa et turba ejus et Mousa simul opitulantur Mohammedi.

Quod si quis miratur Moslemos, Francis obsidibus praesentibus, tam insolenter victoriam suam celebravisse, atque adeo haec de alio consessu intelligenda esse existimat, is Aegyptios summo odio et contemtu Francos prosecutos esse, Francos autem Arabicam linguam ignorasse cogitet.

(78) *Vix autem recepta — Dimyatha — fuerat*] Haec nova Francis auxilia e Gal-

Digitized by Google

Galilia venisse videntur. Nam auctor epistolae a Matthaeo Parisiensi servatae, et jam semel iterumque a nobis laudatae, narrat se e portu Massiliae die Assumtionis Virginis Mariae solvisse, et Dimyatham venisse die Lunae ante Nativitatem ejusdem Virginis, quo tempore urbs jamjam Moslemis reddenda erat, atque ergo se suosque his auditis recessisse. Cf. n. 71.

(79) *Induciaeque factae sunt in annos — octo*] Consentit auctor epistolae, idemque tradunt Oliverius et Bernard. Thesaur. qui etiam praeter captivos lignum verae Crucis redditum fuisse testatur, in quo ipsis adstipulatur Petrus de Monte acuto, Templariorum Magister, in epist. apud Matthaeum Parisiensem p. 314. Haec autem Crux, quam al Camelus reddidit, haud diversa fuisse videtur a Crucis ligno, quod Saladinum cepisse celebri illo apud Tiberiadem proelio tradunt varii scriptores Arabici et Latini, in his Ibn al Atsir apud Michaudium *Hist. des Crois.* T. VII. p. 460, Abou Schamah *ibid.* p. 586 sqq., Gaufridus Vinisauf in *Itiner. Regis Richardi*, inter *Hist. Angl. Scriptores* Galei T. II. p. 251, Jacob. de Vitr. *Hist. Hieros.* C. 94. p. 1118, Godefr. Mon. p. 348, Matthaeus Paris. p. 145, Marinus Sanutus *Secr. fid. Crucis* Lib. III. Part. IX. C. 4. p. 191. Negat quidem Bernard. Thesaur. C. 206. p. 844, hoc lignum illud fuisse, quod apud Tiberiadem perditum fuerat, asseritque Continuator Will. Tyrii C. 13. p. 607, Crucem illam post proelium Tiberiadense nusquam terrarum repertum esse, hanc autem, quam reddidit al Camelus, in praelio Acconensi in manus hostium pervenisse. Designat procul dubio pugnam aliquam e multis, quae inter Saladinum et Christianos Ptolemaidem obsidentes commissae sunt; sed eo tempore partem Crucis amissam esse nemo alius, quod sciam, tradidit. Crucem vero, quam eo, quo diximus, tempore, Saladinus cepisset, numquam ab eo fuisse redditam, atque adeo in successorum illius transiisse potestatem certum est. Licet enim capta a Francis Ptolemaide, pro Moslemis, quos in vinculis habebant, magnam pecuniae vim et verae Crucis lignum obtulisset Saladinus, res tamen eventu caruit propter hostium perfidiam captivos suos trucidantium, nec postea usque ad bellum Dimyathense illius ex pacto Christianis reddendae ulla opportunitas oblata est. Cf. Bahadinus V. S. p. 179, 182 sqq., Ibn al Atsir l. l. p. 518 sqq., Abou Schamah l. l. p. 649—652, Gaufr. Vinisauf l. l. p. 341 et 345. Item Jacobus de Vitr. *Hist. Hieros.* C. 99. p. 1122 et Oliverius *Hist. Regum Terrae Sanctae* C. 61, quorum ille tamen tradit Saracenos Crucem invenire non po-

Digitized by Google

potuisse; hic, intellexisse Christianos Crucem sanctam nequaquam adesse. Adde Matthaeum Parisiensem p. 163, et Marinum Sanutum L. III. P. X. C. 4. p. 198. Quod autem al Camelus Crucem se redditurum esse promisit, id ostendit tum temporis duas verae Crucis (ut ferebatur) partes in Oriente exstitisse; Nam, uti Oliverius et reliqui omnes tradunt, in ipsa ista expeditione Dimyathena et in excursionibus, quas paullo ante cruce signati in agrum Palaestinensem fecerant, S. Crucis lignum secum ferebant. Quapropter omnino credendum videtur Oliverio *H. D.* C. 1. p. 1398, Bernardo Thes. C. 186. p. 821, Matthaeo Parisiensi p. 291, Godefrido Monacho p. 386, Marino Sanuto Lib. III. P. XI. C. 6. p. 207, ante proelium apud Tiberiadem Crucem in duas partes sectam esse affirmantibus, quarum altera amissa, altera ad illa usque tempora servata fuerit. Ex quo intelligitur, quanta fides habenda sit Michaudio *Hist. des Crois.* T. VI. p. 484, ubi ex *Historia Captionis Damiatae*, a Galeo edita, quam male ab Oliverii *Historia Damiatina* diversam esse putavit, de Cruce referens in duas partes divisa, haec subjungit: *Cet anonyme est le seul écrivain qui parle de la séparation de la vraie croix en deux parties: ce fait n'est ni vrai, ni vraisemblable.*

(80) *In quibus nonnulli inde ab aetate — Salahoddini — in vinculis fuerant.*] Hic nobis sensus esse videbatur verborum Arabicorum — وكان فيهم من له من ايام صلاح الدين. Sententia integra erit si post له, aut الاسر *captivitas*, aut الجلاء *exilium*, suppleatur. Sed gravius, ut equidem censeo, vitium latet.

(81) *Trium annorum, quatuor mensium, novemdecim dierum intervallum effluxerat.*] Si computum Makrizii sequaris, Francos die 4 Rabiae prioris A. 615 in Aegyptum venisse, die 19 Redjebi A. 618 Dimyatham reddidisse, diesque adeo, non novemdecim, sed pro varia computandi ratione, vel quindecim, vel sedecim, vel septemdecim, superesse certum est. Medium sequitur Nuweirius, licet, uti supra vidimus, in tempore deditionis definiendo integrum mensem a vero aberret. Si contra numerus Makrizianus recte se habeat, deditio incidet in 21, 22 vel 23 Redjebi, e quibus medius dies accurate respondebit diei 10 Septembris, quo Dimyatham Moslemis redditam esse auctor epistolae superius laudatae testatur. Cf. n. 71. Quod autem Makrizius addit, Dimyatham fuisse in Francorum potestate menses duos et viginti, diesque viginti quatuor, id historiae fides luculenter confirmat. Nam revera tantum temporis effluxit inter diem 24 Schâbani A. 616. et diem 19 Redjebi A. 618, quo civitas in Aegyptiorum rediit potestatem.

ADDENDA.

Digitized by Google

A D D E N D A.

Ad n. 3. p. 39. v. 12.] Varietatem scripturae in nomine Emiri Turcici ايناج , ايناج vel ايناخ etiam augent alia loca Makrizii, in quibus, vel sine punctis, vel اماح, exaratur. Forte vera scriptio est ايناخ, *Inakh*, quod nomen hodieque tribuitur Uzbekorum ad Orientem Caspii Maris degentium Principibus: apud quos singulae tribus suum *Inakh*, sive Emirum, habere docet N. Mouravieff, in suo ad Turcomannos Itinerario. Vide illius operis censuram in diario, *Journal des Savans*, Oct. 1823. p. 604. Quod si placeat, *Inakh* non erat ab initio proprium nomen, sed cognomen ex dignitate repetitum, uti *Ikhschids*, quod *Rex Regum* significabat apud Turcas Ferganenses, deinceps nomen proprium factum est. Ex eodem Inakh forsitan corrigenda et explicanda sit appellatio Emiri Gozzorum (ad quorum familiam Uzbeki etiam pertinent) *Inang* (اعانج), quam nobis Bar Hebraeus servavit in *Chron. Syr.* p. 252.

Ad n. 7 extr. p. 42.] De classe Aegyptia quam, ut Makrizius h. l. testatur, eodem tempore, quo Dimyatham munivit, instituendam curavit al Motawaccelus, luculentus exstat locus apud eundem, postea cum fere tota nostra dissertatio typis jam descripta esset, a nobis repertus in capite ذكر المواضع المعروفة بالصناعة, *Commemoratio locorum, nomine al Senaāt* (navalia) *insignium.* Rei summa haec [illegible] *Cum Graeci A.* 238 *Dimyatham diripuissent, magna cura de instruenda classe navibusque aedificandis laboratum est, et constituta stipendia copiis marinis, quae antea solis terrestribus concessa fuerant. Emiri ad istam militiam prae caeteris invitare solebant sagittarios, invaluitque deinceps inter Aegyptios, ut liberos suos cum reliqua ad bellum gerendum necessaria, tum imprimis sagittandi artem docerent. Eligebantur praeterea duces bellicarum rerum periti, nec quisquam inter classiarios admittebatur improbus maritimique belli ignarus. Praeterea ut homines universe in bellum sacrum proniores erant, ita imprimis classiariis adscribi cupiebant et gratia muneribusve hoc efficere conabantur, ut locus sibi inter illos daretur, quippe cum honore et dignitate conjunctus.* Conf. MS. 276. p. 653. MS. 372. T. II. p. 462.

Ad n. 14. p. 53. v. 2 sqq.] Argumentis illis quibus usi sumus, ut Seldjukidarum stirpem ab Ougozkhano repetendam esse demonstraremus, aliud addi potest adeo luculentum, ut illud hac oblata opportunitate cum lectoribus meis omni-

Digitized by Google

omnino communicandum esse judicem. Oritur autem illa opinionis nostrae confirmatio ex comparatione loci Bar Hebraei de origine Thograe, sive emblematis Sultani in fronte Diplomatum et literarum publicarum, cum traditionibus Tatarorum de Ougozkhano, ab Aboul Gazio Behadour Khano servatis. Hic enim in sua *Hist. Geneal. Tatar.* p. 59—62 exponit, qua ratione Ougozkhanus filiis suis tribus majoribus arcum aureum tradiderit, tria tela aurea totidem minoribus, addito arcum imperii signum esse, illis in perpetuum relinquendi, sagittas ministrorum legatorumque symbolum haberi, cum hi Principis jussum, ut illae arcus impulsum, sequantur. Has igitur fabulas, quae vulgo de stirpis suae auctore ferebantur, procul dubio respexit Togrul Begus, regia Tatarorum familia, ut ipse affirmabat (Bar Hebr. *Chron. Syr.* p. 237), oriundus, qui, quo primum tempore a Khalifa Sultanus creatus et solennibus titulis ornatus est, arcus figuram diplomatibus suis impressit, et hac ratione Thogram primus instituit. Cf. Bar Hebr. *Chron. Syr.* p. 244. Ejusdem vetustissimae traditionis ope alia etiam historiae Seldjukidarum loca melius intelliguntur. Quis enim dubitet, quin eodem referendum sit factum Ibrahimi Yousefi filii, Togrul Begi ex matre fratris, et illius apud Khorasanenses praefecti, in fronte literarum signum arcus et teli ponentis (Bar Hebr. ibid. p. 236), aut ipsius Togrul Begi consuetudo in publicis consessibus duo tela manu ferentis, arcu tenso (quasi in signum imperii firmiter fortiterque gesti), ante eum collocato (ibid. p. 237). De cujus moris symbolica significatione nos dubitare non sinit locus egregius Herbelotii v. *Selgiuki* p. 801, ubi de Israile, Togrul Begi patruo, narratur eum aliquando legationis caussa profectum esse ad Mahmoudum Gaznevidam, et ab eo interrogatum, quantas copias ipsi auxilio mittere posset, respondisse, si unum telorum (duas enim sagittas et arcum manu tenebat) si horum igitur unum ad tribus Nomadicas misisset, quinquaginta millia equitum praesto esse futura; si alterum, alia totidem esse ventura, si arcum, tum vero ducentorum millium equitum exercitum paratum fore. Ergo, licet caussam non perspiciamus, cur Togrul Begus ejusque patruus non tria tela, ut est in Aboul Gazii fabula, sed duo tantum gesserint, hoc tamen manifesto intelligimus, *et* arcum solum, *et* cum telis conjunctum, dignitatis imperatoriae symbolum et insigne fuisse, ex veteribus de Ougozkhano traditionibus repetitum. Quapropter vix dubitamus, quin ex eodem ritu explicandus sit locus Aboul faradji in H. D. p. 346, ubi Sultanus Seldjukida Alp Arslanus contra Imp. Graecum

Digitized by Google

onm Romanum Diogenem pugnaturus, suique exercitus internecionem metuens, omnibus, qui vellent, discedendi potestatem fecisse dicitur, et addidisse: nullum amplius Sultanum in castris esse, qui jubendi aut vetandi jus haberet. Quae cum dixisset, arcu telisque abjectis ensem clavamque sumsit, non tam, (si quid video) ut ostenderet se cominus hostem invasurum, quam ut verbis fidem faceret et depositis imperii insignibus gregarium se militem futurnm esse monstraret. Rem aliter explicat Sacyus Vir Illustr. in C. A. T. II. p. 571, ubi docte, ut solet, et eleganter disputans de loquendi forma *induere vestes albas*, vel *aliquem ad vestes albas induendas cogere*, i. e. *praefecturam imperiumve deponere*, vel *aliquem ad privatam conditionem redigere*, locum etiam laudatum Aboulfaradji ex ea consuetudine interpretari conatur, et indutis (ut ibidem fecisse narratur) vestibus albis Sultanum ostendisse existimat, sibi nullum amplius imperii jus, nullam potestatem relictam esse. At (pace tanti Viri dictum sit) fortissimi Principis longe aliam mentem fuisse verba Arabici scriptoris ostendunt: ولبس البياض وتحنط وقال ان قتلت فهذا كفني, *Et induit vestes albas, odoribusque se suffiit, et dixit: Si occidar, hoc sit cadaveris mei involucrum.* Quo facto declaravit se ad mortem paratum esse, atque adeo ipse vivus eadem illa peregit, quae erga defunctorum corpora Lex Moslemica observari jubet, ne scilicet ἐνταφίοις solennibus careret. Egregie illustrat Aboulfaradjum locus d'Ohssonii, *Tabl. de l'Empire Ottoman* T. I. p. 238. *Les linceuls doivent être de toile, ou d'une étoffe, dont l'usage est permis aux vivans, mais toujours blancs; jamais d'aucune autre couleur. — Avant d'envelopper le corps, il est nécessaire de parfumer les linceuls et la bière destinée à les recevoir* etc.

Ad n. 36. extr. p. 78.] Licet argumentum ex situ Adeliyyae repetitum, quo locum veteris Dimyathae et novae eundem fere esse demonstravimus, firmissimum nobis esse videatur, nihilominus breviter adhuc illis occurrendum esse arbitramur, qui nobis Makrizii auctoritatem objiciant, nostrae sententiae refragantis. Hic enim eo ipso capite, in quo partim explicando versamur, item alio loco, jam excerpto in Michaudii *Hist. des Croisades* T. VII. p. 733. affirmat, Sultanum Roknoddinum Bibarsum, A. H. 659 (Chr. 1259—60), cum multis operis Kahirensibus venisse Dimyatham, ut fluminis ostium corrumperet, et navibus hostium impervium faceret, eoque tempore, injectis arborum maximarum truncis fluvium adeo coarctatum fuisse, ut hinc repetenda caussa sit, cur ipsius etiam Ma-

Digitized by Google

Makrizii temporibus naves onerariae majores extra flumen in salo subsistere, et merces in scaphas minores, جرم appellatas, transferri deberent; quae omnia hodieque eadem ratione peragi notum est. Reprehendit vero auctor, ibidem loci, Dimyathensium inscitiam hanc navigandi difficultatem accumulatis arenis adscribentium; quod si jure fecerit, atque adeo hodiernae etiam ostii illius angustiae a Bibarsi operibus repetendae sint, eosdem litoris Aegyptiaci fines mansisse, nec post medium seculum XIII illud ulla incrementa cepisse manifestum est. Sed ut reliquos omittam auctores, qui illas angustias, *Boghaz* i. e. *fauces*, appellatas, attigerunt; ad opinionem istam evertendam hic unum laudasse suffecerit, qui instar omnium est, Virum Erudit. J. M. le Père, in dissertatione *de conjunctione Maris Indici et Interni* (*Mémoire sur la communication de la Mer des Indes à la Méditerranée par la Mer Rouge et l'Isthme de Soueys*) edita in *Descript. Aegypti* T. XI. Hic igitur αὐτοπτὴς non tantum diserte affirmat, illas fauces, sive *Boghaz* (de quibus agit Sect. II. §. V. p. 236 sqq.) ex arenarum cumulis, maris fluminisque conflictu aggestis, oriri, sed etiam Canopitici ostii (de quo claudendo certe nec Bibarsus, nec alius quisquam, cogitavit) eandem naturam et rationem esse docet ac Dimyathensis, nisi quod illud pluribus etiam vadis periculisque infestum sit. Auget difficultatem illarum arenarum mobilitas nunc haec, nunc illa loca obstruentium, atque adeo peritissimos quosque nautas subita et inexspectata mutatione fallentium, ex quo etiam intelligitur, cur ostii Dimyathensis angustiae jam Makrizii tempore eaedem fuerint ac nostro, licet locus ipse toto coelo differat. Nullam igitur vim huic objectioni inesse arbitramur ad nostram labefactandam sententiam, quam in Tabulis Geographicis huic dissertationi adjectis eatenus exprimere conati sumus, quatenus illud rei ratio permiceret. Cum enim incertum esset, quaenam ante mutatam per Nili alluviones litoris formam, lacus Menzaleh et Isthmi, quo a mari separatur, species fuerit, simpliciter punctis indicavimus, quaenam loca nobis olim fluctibus obruta fuisse viderentur.

Ad n. 28. p. 73. vs. 1.] Ab initio existimaveram, ad dirimendam istam Chronologicam controversiam nobis forte auxilio esse futurum defectum Lunae fere universum, quem modico tempore post Christianorum adventum accidisse scribit Oliverius C. 7. p. 1402. Sed accuratior rei consideratio docuit, nos illam opinionem frustra suscepisse, et novum huic Oliverii loco documentum inesse ostendit

Digitized by Google

dit illius negligentiae, quae in Medii Aevi scriptoribus imprimis reprehendenda est, naturalem rerum gestarum ordinem turpissime deserentibus, atque adeo densissimas saepe tenebras historiae obducentibus. Nempe illa eclipsis, quae revera fere generalis fuit (decem nempe pollicum cum dimidio) incidit in diem nonum Julii 1218, atque igitur non modico tempore post adventum Christianorum locum habuit, sed exactis demum diebus circiter quadraginta, cum Turris Nilotica jam vehementius oppugnari coepisset, cumque ea omnia jam accidissent, quae de impetu in Saracenos, die Dominica post festum Joannis Baptistae, i. e. Kalendis Juliis, facto, postea demum C. 8. p. 1403 retulit Oliverius.

Ad n. 36. p. 78. vs. antepenult.] Quadrimestre spatium in expugnanda turri Nilotica consumtum fuisse, etiam testatur Bar Hebr. in *Chron. Syr.* p. 458.

Ad n. 45. p. 96. vs. 18. Locis de al Hakkar et al Hakkariah laudatis adde Bar Hebr. in *Chron. Syr.* p. 358, ubi scriptio ܗܟܪܝܐ ? ܐܠ ܗܟܪ pronuntiationem a Lexico Geogr. oblatam egregie confirmat.

Ad n. 46. p. 96. vs. 28. Quod de al Maleko al Fayezo Jacobus Vitriacensis refert, eum Regioni Gemellae, sive Emesenae, praefectum fuisse, id quodammodo confirmari videtur Abulfedae auctoritate *A. M.* T. IV. p. 184, qui refert al Malekum al Fayezum in regionibus Orientalibus sedem regni habuisse, dum pater al Adelus Aegyptum occuparet, cui assentitur etiam Nuweirius narrans, al Camelum, a patre al Adelo ex Oriente evocatum, praefecturam suam fratri al Fayezo tradidisse. Sed licet hic duorum auctorum consensus omnem suspicionem mendae tollat, nihilominus eorum testimonium cum illis, quae vel a Makrizio, vel ab ipso Nuweirio referuntur de Emaddoddino, qui, regnante al Fayezo, omnia facile in sua potestate se habiturum esse sperabat, item de al Fayezo, castris Dimyathenis a fratribus ablegato, et cum literis ad Principes in Syriam misso etc. cum his igitur vix conciliari posse arbitramur. Nam haec omnia satis ostendere videntur, eum tum temporis adhuc minorem natu, nec in sua, sed in fratrum potestate fuisse. Haec autem quomodo conveniant in eum, qui jam A. H. 597 (Chr. 1200—1) tractuum Orientalium praefecturam obtinuit, atque adeo ipsum al Malekum al Aschrafum, al Maleki al Cameli fere aequalem, qui anno demum 600 (Chr. 1203—4) prima arma gessisse memoratur (Abulf. *A. M.* T. IV. p. 208), procul dubio nonnihil aetate antecessit? Quod quidem si admiseris, al Fayezum obsidionis Dimyathensis tempore A. H. 615 annum jam attigisse quadragesimum fateberis: nam sexagesimo defunctus est al

Digitized by Google

Aschrafus A. H. 635. Quomodo igitur ea aetate al Fayezus in tutela fratrum ipsi fere aequalium adhuc esse potuerit vix intelligimus, nec ullam tollendae difficultatis viam reperimus, nisi al Malekus al Adelus duos filios habuerit eisdem nominibus et cognominibus insignes, sed aetate diversissimos. At haec mera conjectura est, cui tamen aliqua veri species adjungitur, si ponamus al Adelum dolorem, quem forte ex immaturo dilectissimi filii obitu conceperat, lenire studuisse nominibus illius in alium e liberis, tum adhuc recens natum, translatis.

Ad n. 53. p. 108. vs. 2. Cum haec nota jam typis descripta esset, casu incidimus in caput Makriziani operis, inscriptum ذكر السجون, *memoria carcerum* (MS. 276. p. 650. MS. 372. T. II. p. 459), in quo prorsus inexspectato mentionem *horreorum*, sive *cellarum*, *Schamayeli* (خزاين شمايل) reperimus. Ex eo loco didicimus, *aedificium illud olim situm fuisse in vicinia portae Zowailae et teterrimum fuisse carcerem foedissimumque adspectu, in quem detrudi solebant fures latronesque, quibus poena capitalis constituta erat, item servi aliique magnis criminibus impliciti, quos Sultanus vita privandos esse decreverat. Imposuerat vero Kahirae praefectus carceris custodi, ut quotidie certam partem acceptae a se pecuniae ipsi afferret* (وكان السجان بها يوظف عليه والي القاهرة شي يحمله من المال له في كل يوم), *quae summa tempore Sultani al Maleki al Naseri Faradji* (في الايام الناصرية فرج) *ingentia incrementa ceperat. Mansit autem carcer iste usque ad imperium al Maleki al Mowayyedi Scheikh al Mahmoudi, qui illum cum aliis multis aedificiis contiguis dirui jussit A. H. 818* (Chr. 1415—6) *ut eadem in area Collegium exstrueret. Carcer autem nomen habuit ab Emiro Alamoddino Schamayelo isto, qui tempore al Maleki al Camen — Hamatha (ubi in vico quodam agriculturae operam dederat) Kahiram venit, et regiis satellitibus adscriptus est* (فخدم جاندارا في الركاب السلطاني), *deinde cum obsessa Dimyatha per mu[illegible] Nilum transasset in urbem, et ad Sultanum de obsessorum conditione retulisset, auctoritate apud illum crevit et primum satellitum Emirus* (امير جاندار), *dein Kahirae praefectus creatus est; quo in munere mansit, usque ad mortem al Maleki al Cameli, cujus successorem al Malekum al Adelum Abou Becrum cum imperio privasset al Malekus al Salehus Nedjmoddinus Ayoubus, etiam huic acceptus fuit.*

Ad n. 65. p. 112. v. 1. Celebrior est Sarmesakh apud Historicos Expeditionis a S. Ludovico adversus Dimyatham susceptae, e quibus Marinus Sanu-

nus

Digitized by Google

tus *Secr. fid. Crucis* L. III. P. XII. c. 2. p. 218 sq. illud *Sarmosac* nominat, ibique Regem a Saracenis captum esse affirmat. Apud Joinvillium autem p. 37 *edit. du Cangii*, p. 42 *edit. Paris.* A. 1761, est *Sormesac* vel *Sourmesac.* Idem denique illud collocat *sor le flum de Rixi*, i. e. ad brachium Nili Mendesium. Hoc enim nescio qua de caussa sic appellat Joinvillius, cujus verba ut optime illustrant illa Oliverii, Saremsac super ulteriorem ripam situm esse affirmantia, ita diserte repugnant Niebuhrio, illud in ora brachii Dimyathensis a se repertum esse testanti.

Ad n. 75. p. 120. vs. 15. In alto Nuweirii exemplo MS. 1939 (2) non *trecenti equites* in Christianorum castris fuisse dicuntur, sed *octingenti*, quem numerum minori praeferendum esse arbitramur.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

URBIS DIMYATHAE A° 12



1. Dimyatha vetus. 2. Dimyathae novae ambitus. 3. Forum Al-Manschiyyeh, Novae, u
flumen transire molientium; Christianis postea urbem circumsidentibus, a Christianorum
10. Turres et catenae, flumini claudendo aptae. 11. Pons navium a Sultano dionis tempore.
Francos communivit. 14. Canalis Al-Azrak, a Francis instauratus et amp talem adversus
idetur sublatus.

Tschmarke pf. sculp. 1824.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

dener Library 005962992
3 2044 088 708 821

Digitized by Google